SIMONIS STAROVOLSCI

DECLAMATIO

Contra obtrectatores Poloniæ.



CRACOVIÆ,

In Officina Typogr. Matthiæ Andreouiensis,

Anno M. DC. XXXI.

Euripides in Dictyæ.

Meo quidem iudicio non rectè sapit,
Qui spretis patriæ finibus terræ,
Alienam laudat, & moribus gaudet alienis.

Perillustri & Genoroso Domino,

D. CHRISTINO KARWICKI,

Viro doctissimo, & Equiti Strenuissimo:

SIMON STAROVOLSCIVS Salutem.

ET externas nationes peragrãdo, & domi diuersos authores euoluẽdo, aduertisti Miles fortissime, tot conuicia & calumnias, per summũ odium dici à maleuolis in gentem nostram. Quæ virtutis suæ conscia, minimè illis mouetur, sed gnauiter ea, quæ immortalitatem spirant, more sueto agit. Cæterùm quia vnicuiq; innatus Patriæ amor esse debet, statuimus eius existimationem, pro ingenij exilitate, refutatis obtrectatorum criminationibus breui declamatiuncula defendere, eamq; tibi Publici Boni, amantissimo ciui, legendam & arbi-

arbitrandam offerre. Tibi inquam, qui pro eius incolumitate, annis ferè viginti, ſub Magno illo Heróà, CAROLO CHODKIEVICIO, bellis Liuonicis atque Moſchouiticis merendo, te periculis omnibus intrepidè ſemper expoſuiſti: & quid tranſmarinus miles acie contra noſtros auderet, aut belli aſtu & ingenio valeret, optimè animaduertiſti. Et tamen, Deus bone, quam inuerecundè illi, & rei militaris, & virtutum ignorationem nobis obijciunt? quamqúe vaniſſimè ſcriptis paſsim vulgatis inſultant? Ergo teſtis oculatus ignauiæ illorũ ipſorum, vindicias haſce prudens, in tutelam & patrociniũ recipies, atq; STAROVOLSCIVM ſemper tuum, ſolitò amabis. Vale.

DECLAMATIO.

ETSI ab antiquo & immemorabili tempore, gentem nostram armis gloriam quærentem A. N inuidia exacerbati circumuicini populi, variè traducere consueuerint, tum maximè præsentibus annis, quibus cum Gustauo Adolpho Suedici Regni incubatore, variâ fortunâ in Prussia certauimus, scriptis variis editis nomen Polonum passim proscindunt: partim, quod moribus, linguâ, habitu, totaq; viuendi ratione à nobis penitùs differant: partim, quod armis nobiscum toties decertando, bello semper succubuerint: nuperq; Suedica stipendia merentes, tum in Liuonia, tum in Borussia, cladem insignem suorum reportauerint. Hinc odium in nos, plusquam Vatinianum, & ad exteros, aut posteros, scriptis infamibus traductio; sciens, cum suapte natura præceps esse ad credendum falsa mortalium genus, tum quòd sæpissimè eò adducitur, inuerecundè vulgatis mendaciis scriptorum. Pulchrè hac de re Tacitus, *Adeò maxima quæque ambigua sunt, dum alij quoquo modo audita pro compertis habent, alij vera in contrarium vertunt: & gliscit vtrumque posteritate.* Probra attamen & calumniæ non nisi in generosos, &

Annal. lib. 3.

ſos, & maximis virtutibus prǽditos ciuntur; Ignauus procul ab inuidia manet. Contra verò, populi ſumma licet barbarie ſepulti, non abſque virtutis tamen alicuius ſplēdore viuunt. Circumſpiciamus terræ vniuerſæ immenſitatem, populoſq; omnes quotquot ſunt, vel Chriſtiana veritate illuſtrati, vel ſtulto Idolorum cultu occæcati, vel demum fœdo Machometis errore, aut perfidia Iudaica obſtinati, diligentiſſimè conſideremus: nullam prorſus gentem, nullamque nationem tam ſtupidam atque agreſtem reperiemus, quæ nō ducatur, naturali quodam inſtinctu, pulcherrimo virtutis amore. Sed potiſſima eorum pars barbari nuncupātur, quod pauciſſimi diuinam hanc Diuam inter eos ardentiùs contemplentur plurimi, remiſſius atque negligentius: pro occulto quisque cæli influxu, āeris bonitate, ſitu loci, & commeantium ad ſe populorum ingenio. Quibus rectè adiunxeris, temporum quoque qualitatem; cum ad oculum videamus omnia ſæcula genium ſuum habere, qui mortalium animos in certa ſtudia ſolet inflectere. Atque hinc eſt, quod quædam ætates præcipuè armis exercitæ fuerunt: quædam è contrario in quietem compoſitæ. & ſæpius orbis cultis hominum moribus enituit, pluries verò velùti in barbariem homines naſci vidimus. Italia exemplo, Græcia, Rhodus, Hiſpania, aliæque tum Aſiæ, tum Africæ celebratiſſimæ gentes, quæ barbaræ primùm deinde ſuccedente ætate cultiſſimæ fuerunt. Iterumque ſuperuenientibus Aquilonaribus oppreſſæ & incultæ: nunc denuo caput nonnullæ extollunt, & mutabiles ſæculorum genios eſſe, ſuo exemplo docent. Noſterque orbis Sarmaticus, velut ad barbariem olim ſub Lechis, Viſſimiris, & Popellis factus: ſuſcepta ſub Mecislao E-

uangelij

uangelij luce, nunc in quietem componebatur, nunc ad feritatem adgnatam recedebat. & arcana quædam vis seu Fatum ad certas & destinatas vices corda mortalium, prout vbique sic & sub frigido axe propellebat. Patrumque nostrûm memoria, sub Diuo Sigismundo I. composita Polonia, omnis humanitatis cultu suam magnitudinem ornauit. Sub Augusto eius F. hominibus nostris, scientiæ potiùs quam armorum amor increuit. Mox turbo vbique Henrico in Gallias abeunte: & in omnium animis bellum insonuit Stephano diademate reuincto. Præsenti demum ætate, qua Inuictissimus Rex noster Sigismundus III. Sarmatiæ gubernat habenas, quadragesimam quartam iam de hostibus nostris numeramus victoriam, quod etiam ille tot annis præsit nobis, & felicitatis eius cursum triumphis satius, quàm temporum spatijs metiri deceat. Virtutis autem splendore, omni sanè momento, pariter ac aliæ cultiores gentes vehementer ducimur vniuersi, calumniasque obtrectantium nonnisi ob eius studium perferimus. Nec ætas vlla fuit, ex quo sacris Christianis initiati sumus, qua non teneremur pulcherrimo virtutis desiderio. Sed quia neminem natura mortalium, tam conditis moribus finxit, in quo non aliquid desideres velut vltimā artificis manum, vitia idcirco nostra Poloni fideliter agnoscimus, & à cultioribus admoniti libēter ea dediscimus, quantū ætatis istius indoles permittit. Ex quo non ea iam hodie Poloniæ incumbit barbaries, quæ fuit temporibus Ditmari, Othonis Frisingensis, aut Æneæ Syluij, qui gentem nostram ex suo genio æstimabant tunc, cum literarum secreta viri pariter ac fœminæ ignorarent. Virtutum nunc æternitas velut hæreditatis iure sancita, Polonis inconcussa manet, & simplex

plex fides, humanitas, fortitudoq; hæret in nobis. Quæ, cum nimium maleuoli extenuent, & nos omni barbarie infames censeant, nec dignos esse putent, qui reliquis Europæ populis nos exæquemus: ego officio ciuili ac potius pietate ductus, præsenti oratione hanc labem abolere, & omnem calumniam ab inuicta Sarmatica gente nostra refellere constitui. Vos Equites fortissimi, quibus patriæ amor inprimis curæ debet esse, & qui omnis ignominiæ, pro vestra animositate impatientes estis, non aures modo mihi attentas & sitientes præbetote, sed animos quoque paratos, publicam nominis Poloni infamiam, vestra virtute, vestra fortitudine, repellere,

QVi varios genios hominum, impetusq; animorum curiosa diligentiâ cognoscunt. Atq; varias virtutes vnicuiq; genti, variaq; vitia adnata esse dicunt: vnicum verò istud, omnibus populis & singulis ferè hominibus commune, quod ad suæ ipsius mentis notitiam nullus sanè peruenire queat; cum non postremæ tamen sapientiæ censeret esse, qui in oraculi modum edidit, vt seipsũ quisque cognosceret. Itaque dum Censorio vultu nostram Sarmatiam inspiciunt, aiunt, *Polones ita barbaros esse, vt nihil penitùs commune cum virtute habeant, Religionisq; puritatem superstitionum & errorum monstris deturpent: Nimirũ, quod legibus suis contraria Diuinis mandatis sanciant, & homicidia pœna pecuniaria mulctent: sontes, semetipsos suspendere iubeant: plebem tyrannicè habeant: coniugiorum sanctitatem riualium licentia temerare soleant. Quod fidem publicam non seruent. Quod nec regnum habeant, nec regem, sed oligarchiam quandam: vel si regem eum appellare libet, qui tam licentiosæ genti præest, tum & hunc ex regionibus longinquis adscitum*

Thomas Lansius Orat. contra Polō.

adscitum, quod nulli apud eos imperio digni nascantur; & nobiles ferè omnes agrestes, feroces, arrogantes, pauperes: & qui in tugurijs tantum stabulentur, nec intelligant lautitias & elegantias, ne dicam politiam. Qui verò opulentiores sunt, satellicio gaudent ingenti ociosorum hominum: suamq; ignobilitatem titulorum ornamentis asserunt, nobilitatem vero vsque ad nauseam verbis pomposis iactant, cum tamen virtute penitus deficiant. Iidem sordidum habitum deferunt: linguam barbaram & duram pronunciatu habent: solum sterile: cœlum frigidum: Latinæ linguæ exiguam cognitionem, & in cuius pronunciatione turpissimè impingunt. Et quod rei caput est, nullam militiæ peritiā, aut certè perexiguā tenent: cūq; iactēt se habere centū quinquaginta millia nobilium equitum, resistere tamen Gustauo nequeunt: præcipuè verò peditatu minimè valent: ac ob id passim cæduntur à Suecis, fustigantur à Moschis, vexantur à Tártaris, exágitántur à Dacis, extiment Hungaros, reuerentur Turcas, à Germanis verò toties olim subacti, assidua nunc sollicitantur cura, ne iterum colla iugo submittere cogantur. In summa, *si quis Poloniam,* inquit Thomas Lansius, *laudaret, ingenij ostentandi causa id faceret, velut qui asini vmbram, vel asinum ipsum, culicem, passerem, febrem, lutum, aut aliam rem friuolam scriptis suis celebrârunt. Et si quid in Polonia nunc superſit probum, & elegantioribus moribus congruum, illud maximè Germanorum industriæ & virtuti attribuendum est. In Polonicá autē nobilitate, ita barbarè à natura ferociente, vt omnes áliás nationes dedignetur, quid tandem inuenies elegans, ciuile, vrbanum, come, mansuetum, fidele?* Deus bone! in quæ tempora deuenimus! in quos incidimus Aristarchos! quæ iudicia, & quos arbitros habere promeruimus! atque illa natio Sarmatica, quæ Romanorum quondam, imò orbis vniuersi terror fuit, nunc imbellium hominum ludibrium est,

um est,

um est: & qui olim omnibus formidabiles, etiam vulgo indomiti cēsebantur, nunc in derisum vicinorum populorum venerunt; & quibus demum nihil in vniuerso orbe intactum fuit, vt & Asiæ, & Europæ,& Africæ dominarentur, imbelles, ignaui, atq; rei militaris imperiti appellantur. Siccine tibi Lansi gens nostra res friuola, & asini vmbra esse videtur? gens inquam illa, quæ ex Scythia, omnium bellicosissimorum populorum matrice egressa, Parthos, Gotthos, Hunnos, Moscos, Vandalos, Getas. Iazyngios, Dacos, Illyrios, Bulgaros, Russos, Boemos, Sclauonios & Croatas produxit? inq; alias fortissimas nationes dimanauit? quæ tot populos longa ætate fundatos, imperandiq; potentia firmos, breui momento perdomuit? quæ tot regna euertit? quæ tot prouinciis opulentissimis etiamnum in Europa potitur? Quid enim Cassubij, Silesii, Morauij, Carnioli, Pomerani? nonne è Sarmatia nostra ortu atq; egressi, quamuis sub alieno nunc imperio, veterē tamen linguam retinuere? Quid in remotissimis Suetici regni partibus Gotthorum Vandalorumq; populi, nonne nostri sanguinis & potentiæ inter Scandos & Finlandos monumenta sunt? Quid Vissogotthi, Ostrogotthi, Longobardi? quanto impetu, quanto valore, quanta virtute fuerunt isti? quanta bella executi sint? quot potiti victorijs? Sed hæc priscorum Sarmatarum laus fuit, quorum fortunas, imperia, virtutes percensere maius humana eloquentia onus est: Nunc Lechitarum nostrorum præclara facinora, maximasq; atque lectissimas virtutes agnoscamus, omnibus alijs sepositis. Nam & Hunnorum impetus, & Vandalorum excursiones, & Gotthorum Imperia maxima, & Longobardorum fælicissima regna, aliæ quoque gentes sibi, ob com-

munem

munem originē vſurpant: quamuis propriè noſtræ gentis hæc decora, atque inuicta munimenta ſint. Et ad Adriaticum mare, Iſtrij, Myſii, Macedones, Epirotæ, Dalmatæ, cæteriq; populi noſtræ etiamnum Slauonicæ linguæ ſonum ac flexum retineant: & à Baltico ſinu, atque Oceano illo quem glacialem vocant, imò vltra ipſum, à noua Zemla, ad Hyrcanum vſque & Euxinum mare, eiuſdem nominis & ſeminis Circaſſy Caſany, Migrely, incolæ habitant. Satorem itaque noſtrum Lechum, eiuſq; diuam propaginem conſideremus Equites, & è ripis fluminis Vandali, qui mediam ſecat Poloniam noſtram, vtrumq; ſolem qua oritur, & qua occidit, animis diligentiſſimè circumſpiciamus, & inueniemus hanc in partem Albim veterem fuiſſe limitem, vbi Boleſlaus Criuouſtus, Saxonibus & Cimbris profligatis, tres ferreas columnas in medio fluuio locauerat. In alteram, ad Mæotim vſq; excurrere ius nominis veſtri: vbi in illabenti Boryſthene ſimiliter alias tres columnas erexerat. Vnam in Arctoo ad Balticum mare, Pruſſis gentilibus ſubactis Oſſæ fluuio impoſuerat; meridiem Sarmaticis montibus, quos nunc Carpatios dicimus, à Pannonibus diſterminans. Hi ſunt A, maiorum noſtrorum Herculei labores, hæc monumenta bellicæ virtutis, hi termini Polonici imperij, quorum latiſſima ſpatia, maximis bellicoſiſſimisq; gentibus habitata, viginti amplius explent prouincias. Quarum habitatores ſub Leſcis illis Boleſlais, Viſſimiris, Vladiſlais, Præmiſlis atque Cazimiris adeò ſecuri agebant, vt nullo ſepti muro, viculis, ijsq; ſparſis contenti, nullo vallo aut foſſa, aut fluuio, aut monte, ſed formidine hoſtes, Spartanorum more arcebant. Et admirentur obtrectatores noſtri quantumlibet facta ſua, nihilominus

 intelli-

intelligent in nobis plus fuisse animorum ad res gerendas, quàm commentationis ad ipsas prædicandas: vt qui nunc etiam in medio ferocissimarum gentium positi, bellisq; assiduis cum Tartaris, Valachis, Turcis, & Moschis exerciti, nec Gallorum impetum, nec vigorem Belgarum, nec versutiam Anglorum, nec ferociam Germanorum, nec calliditatem Italorum, nec pertinaciam Hollandorum, nec perseuerantiam demum aut cunctationem Hispanorum extimescimus, quorum singuli hodie peritiam sibi & decus militiæ vsurpant. Quid dicam Suecorũ? qui nec tam immanes atq; vitæ prodigi sunt, quin instantibus nostris cedere, non libentissimè cedant: neque nos etiam sic cedere didicimus, vt non congressi aciem deseramus, quemadmodum calumniatores nostri libris nunc famosis editis in vulgus spargunt. Genus enim nostrum adeò laudis auarum, & vitæ prodigum est, vt non exhorreamus & artes & potentiam quorumuis populorum: vnde & mortem omnino in bellis contemnimus, quia non alia ratione quàm morte possumus immortales nos facere. Quemadmodumq; Cretentes olim iuuentutem suam in primis leges, mox Deorum hymnos, atq; præclara Ducum facta, quorum imitatione ad virtutem incitarentur modulatis vocibus, memoriæ mundare cogebant: sic & maiores nostri veterum adhuc Sarmatarum consuetudine, in conuiuiis Heroum canebant facta, sicque recreationem ex virtutum recordatione comparabant, & certis conditisque saltibus inter gladiorum framearumque compositas dispositiones saltabant, vt in ludicris etiam prompti ad arma atq; præsentes essent. Sic & nos eorum posteri, vestigijs insistentes illorum, & saltus eiusmodi (*Hayduka* appellamus) & similes cantilenas (quæ

nas (quæ vulgo Dumy dicuntur) conuiuiorum tempore in vsu habemus; & in venationibus frequentes corpora duramus; & ad bella vltrò proficiſcimur; & in prælijs conſtanter pugnamus; & victorijs fruimur moderatè; & libertatem noſtram, qua illi nihil præſtantius nobis relinquere poterant, virtute noſtra ſartam tectamque in hodiernum cōſeruamus: bellaq; ipſa nuſquam ad immanitatem, aut regnandi libidinem, ſed ad conſeruandam pacem ſuſcipimus. Et habeant licet aliæ gentes áërem ſaluberrimum, terram fertiliſſimam, ciues ſuos cultiſſimos, ciuitates munitiſſimas, regnaque ipſa opulentiſſima, non id tamen ad ipſorum gloriam pertinet, ſi vitijs ſunt infames, quæ illis facilè vel è media Scythia quiſpiam, ne dicam è Polonia obijcere poterit? Quod ſi autem fraudulentæ nationes, candorem noſtrum & ſimplicitatem pro ſtultitia habent, ſi impiæ & irreligioſæ, deuotionem pro ſuperſtitione: ſi meticuloſæ, fortitudinem pro temeritate, ſi molles, conſtantiam pro feritate, ſi ſuperbæ, animoſitatem pro arrogantia, ſi luxurioſæ, temperantiam pro veneficijs & frugalitatem pro ſordibus, faciliùs crimina hęc honeſtos nos efficient, quam illi nos inhoneſtos. Quia, quamuis nemo, iuxta illud vetus prouerbium, ſine crimine viuat, nō inuenitur in partibus tā noſtris (vt cum Deo bono dicam) grauiſſimum blaſphemiæ peccatum: non fœdauimus turpiſſimo Sodomię ſcelere ſanguinem noſtrum: auerſæ Veneris flagitio, non inquinauimus gentem noſtram: non maculauimus deteſtabili perfidiæ crimine candorem Sarmaticum: beſtialitatem, lenocinium, gladiatoriam, lupanaria, magiam, ignoramus: neſcimus puerorum amorem: aleæ academias non habemus. Nec ſumus hiſtrionię dediti vt Itali, nec faſtuoſi vt Germani,

Qui vltrò abſq; ſtipendiis ad bella proficiſcuntur vulgo Voluntarii in caſtris appellantur.

nec leues vt Galli, nec superbi vt Hispani, nec truculenti vt Moschi: non infames veneficijs vt Suedi, non latrocinijs & furto assueti vt Hungari, non exterorum contemptores vt Angli, non iracundi vt Scoti. apud quos inimicitiarum vis in hæredes quoque abit, Sed si aliquibus vitiis, vt humana fert conditio assueti sumus, dedíscimus ea moniti à cultioribus, & pluribus longè virtutibus compensamus. Quod verò nobis Lansius, aliiq; Germani scriptores, superstitionum monstra, & gentilitatis cœcos errores exprobrant, aiuntq; Deum Ziemiennicum in Lituania, serpentes autem in Samogitia à rusticis coli. Hoc inscitia rerum nostrarum faciunt, Æneam, Syluium, celebrē alias & grauem scriptorem sequentes, qui de vtraque illa gente verissimè tum scripserat, cum nondum eos lux Euangelij aspexisset. Ast D. Iagello acceptis regni gubernaculis ad propitiandum cœleste numen, ac populos in officio continendos, illud curabat inprimis, vt studuim Christianæ religionis antiquissimum sibi esse cuncti perspicerent. Idcirco & in Polonia salutariter in eo genere multa decreuit, & in Lituania ipse Apostoli officio functus cultui diuino quam plurimas ædes extruxit, Episcopatus & mystarum collegia ad erudiendum barbaram gentem instituit, ipseq; eorum baptismo, qui turmatim aqua lustrali aspergebantur interfuit, & munera atque vestes plebi largitus est. Auxerunt pios eius conatus succedentes in regno eius filij; tum proceres gentis, suo exemplo, & diligentia sacrorum virorum, per ducentos & amplius annos in religione antiquantes, Samogitasq; ac Lituanos non minus Catholicos fecerunt, quàm sint Hispani aut Romani ciues. Sed isti veterum librorum descriptores, quod de gentilibus

Lansius Oratione contra Poloniam & Theatrū Politicum. Item Archōtologia Cosmica Dionisii Gotfredi.

notatum

notatum erat, *suis (si dijs placet) lucubrationibus*, pro re præsenti interseruerunt. Sicut & illud, quod rustici in Polonia Dominicam orationem ignorent, & Confessionis Eucharistiæq; Sacramentum Principibus tantum conuenire, atque potissimum ad sacerdotes & nobiles pertinere dicant, sibi verò non vacare adire templa, aut participare Sacramenta. Falleris magnopere quisquis ita rudes ac barbaros esse Polonos existimas, apud quos passim in pagis & Villis, singulis diebus festis Missarum solennia & conciones ad plebem peraguntur, diuinarumq; institutionum Cathecheses pueris traduntur, vt vbique repperias etiam inter syluas densissimas, qui & diuina præcepta, & literas, ac linguam Latinam calleat. Verum quod nostri Chronographi de Russis & Moschis prodiderunt, qui minus res Ecclesiasticas curant, quamuis Christianam profiteantur religionem: hoc de nobis dictum esse affirmat, egregius ille Tubingensium Declamator, & multis alijs argumentis Polonorum inciuilitatem exagerat; additq, ad criminis atrocitatem declarandam, in eadem Lituania, atque nonnullis ciuitatibus Volhyniæ, Tartaris datam esse licentiam obseruandi infames Machometis ritus, Item, Hæreticis varijs, Armenis, atque Græcis ab Eccl: Romana Schismate alienis, libertatē viuēdi à Regibus concessam exprobrat. O zelum pietatis! O religionis ardorem in viris, quibus Deus nullus, aut certè venter est! & qui nec Pontificem, nec altare habent, de religionibus iudicant, & nobis qui vniuersalis Ecclesiæ Romanę dogmata sequimur, hæreses atque errores objiciunt. Est enim nostra religio, Auditores, quam profitemur sanctissima, verissima, æterna; quam æterna veritas in carne humana apparens discipulis suis dictauit, quam sacri Euangelistæ,

Guag. rer. Pol. Tom. 2
Naugebauerus in Comment. Mosc. cap. 12.

gelistæ, ab ore eius excipientes, venerandis monumentis consignarunt, quam ab eo ipso electi per orbem vniuersum promulgarunt Apostoli, Martyres inclyti sanguine fuso purpurarunt, quam Patres illi antiqui grauissimis commentarijs illustrarunt, quam Scholastici Doctores euidētissimis rationibus demonstrarunt, quam Concilia œcumenica concordibus decretis definierunt, & quam Catholica demum seu Orthodoxa approbauit sua authoritate per Pontifices Ecclesia. Hanc nos Poloni asserimus, hanc armis à Crucis hostibus tuemur, hanc legibus vindicamus ab impijs hæreticis. Quibus nullum templum Catholicum violare, nullam extruere impietatis synagogam permittimus, præter solius conscientiæ libertatem: quod ea cogi nequeat, fideiq; lumen cœlitus veniat: & non nisi docendo, scribendo, atque disputando veterum patrum sanctissimo instituto, promulgatur. Et inde fit, quod inter nos nusquam repperiantur impij Athei, quales inueniuntur inter eos qui se Catholicos, Christianissimos, Fidei defensores, & Ecclesiæ primogenitos appellant, religionem verò vestimento tantum, non intimo cordis adfectu æstimare solent. Nusquam etiam reperiuntur apud nos renegati, ad impurissimam Machometis sectam desciscentes, quod Occidentalibus commune est, præsertim ob scelus aliquod infamia notatis: quales apud nos ad Cosachos potiùs Zaporosenses, barbaros prædatū eunt, pietatem in toto Christianam seruantes. Denique nusquam apud nos de religione armis disceptatum est, vt inter Essenos, Saducæos atq; Pharisæos olim in Iudæa: inter Monotelitas, Iconomachos & Donatistas in Græcia atque Affrica: demum in Gallia, Germania, Belgio, Scotia atq; Anglia, inter Albinianos,

Hugo-

Hugonottos & Protestantes. Nec est regio in toto Septentrione præter Poloniam, quæ Christianiſmum conſeruârit conſtantius, profeſſa ſit ſincerius, coluerit magnificentius: quòd & Rex nullus apud nos Hæreſi aut Schiſmate pollutus fuerit, & plurimæ vrbes (ac inter eas Leopolis metropolis Ruſsiæ) integræq; prouinciæ, ab iſta impietatis lue, immunes exſtiterint: præcipuè autem Maſouia, quæ ne Iudæos quidem in ſuis ciuitatibus patitur. Quamuis igitur omnes leges noſtras, legibus diuinis cõtrarias eſſe maleuoli dicant, nuſquam tñ Polonum militem ſub ijs educatum audies nefarias de Deo aut ſanctis eius voces proferentem, cum tamen inſolentiſsimus ſit omnium Europæorum militum: non videbis locis ſacratis, aut ſacrorum myſtis iniuriam inferentem: non matronas virgineſq; in expugnationibus vrbium vitiantem: non ſcorta in caſtra ſecum adducentem: aut captos deditoſq; contra pacta trucidantem: aut contra fas iuſtumue ſocios deprædantem, aut vindicantem priuatas iniurias monomachia, quod alibi vſitatum. Nec eſt cenſendum contra legem diuinam eſſe, quòd homicidæ apud nos data certa pecunia abſoluantur, vt exprobrat nobis Bodinus re male intellecta: cum id ſancitum ſit de ijs, qui teſtibus adfirmantibus probauerint ſe crimen homicidij, in defenſione vitæ, aut honoris, aut rerum ſuarum commiſiſſe, quod vtique lege naturæ licitum eſt. Secus, ſi quis temerariè commiſerit, & in recenti crimine depræhenſus fuerit; talis ex templò capite ſecundum iura diuina punitur; aut ſi fuga elapſus fuerit; infamiæ notâ: donec & parti læſæ, & publicæ ſecuritati ſatis per leges fecerit. Si verò quis ob homicidium, aut aliud crimen, intra annum & ſex ſeptimanarum tempus, intra quod commiſſum dicatur,

Bodin lib. de Repub.

aliquem

aliquem in iudicium non vocat, omnem tum capitoli iudicio contra eum agendi moribus nostris facultatem admittit. Quot vtique conuenientius videtur esse illa consuetudine Klagenfurtensium in Germania, apud quos furti suspectus statim in furcam agebatur, postridie verò de mortuo quæstio erat, qui si reus inuentus esset, manebat pendulus pœnæ loco: si innocens, funere publico in cœmeterium deferebatur. Rectiùs sanè quàm in vicina nobis Morauia, vbi legibus cautum habetur, vt accusator suismet manibus ipse furem suspendat in furca: aut si noluerit, ipse à fure suspendatur. Denique meliùs quàm in Heluitia, vbi etiam iniuriam à se repellentem capite puniunt, si ciuem Lucernatem occiderit. At grauius inquies, Poloni delinquunt, qui sontes suismet manibus sese suspendere iubent, sicut Vitoldus, Suidrigelus atque eorum nepos Sigismundus, Lituaniæ Duces facere consueuerant, qui in sua præsentia, milites ob leue delictum, sese suspendere iubebant. Fateor fuisse verum, cum Principes illi ex gentilitate nuper ad Christum conuersi, nondum probis moribus fuissent sufficienter perpoliti; populiq; illi quibus imperitabant, etiamnum ignorent, naturâ an consuetudine acceperint, Principibus obnoxio ingenio esse, faciliq; gubernantibus. Qui exculti tamen virtutibus Christianis: atq; artibus optimis, turpem illam gentilitatis consuetudinem detestantur. Nec plebem tristi imperio gubernant, vt asserit Ditmarus Episcopus Merseburgensis, qui ante sexcentos propè annos vixerat, & vera de barbaris tum Polonis aut Lithuanis scripserat; quem ætate præsenti Guilelmus Barclaius secutus, de Polonis quos nusquam viderat, prodidit, quod apud eos rusticorum conditio sit durissima. Quibus etsi in paren-

I. Bod. M. H. cap: 5: I. Boem: de Europa. l. 3. cap: 17. Faber: H. Sueu: l. 1. c. 18. Dubr: Hist. Boem: lib: 32. Simler: de Rep: Helu: l. 2.

in parendi sortem genitis, non detur à suis dominis ad superiora subsellia prouocatio, miti eos nihilominus imperio regimus, quia quæcunque & ipsi suppliciorum metu colimus, eadem tristi fastidio solemus auersari, nec graues ob id vrbicæ plebi aut agricolis nostris esse. Et quamuis patriciorum siue nobilium ordo, maximis quibusque prærogatiuis sit exornatus, ita vt ad publica Reip. gubernacula, nemo ex plebe præter solos nobiles vnquam admittatur. Tamen in tanta imperij Sarmatici diuturnitate, nulla vnquam plebis rebellio aut sedicio excitata est, neque vlla rerum nouarum occasio quæsita, aut fidei vacillantis erga equestrem ordinem, vel minima suspitio exhibita, quod sępius euenit in Germania, Hungaria, atque Italia ipsa, si Romanam, Florentinam, Insubrem & Pisanam, Historias diligentius examinabimus. Sed quæ vera erant de Lithuanis Idolorum tum cultoribus, hoc Æneas Syluius de tota Polonia, Christianis iam moribus optimè exculta, scriptis suis per summũ odiũ vulgauerat, quod videlicet homini ambitioso Episcopatũ Varmiensem à Pontifice designatum Rex Casimirus, iuri suo derogare nolens, denegasset. Verumenimuero non apud nos tantum in Polonia rustici duriusculè habentur, sed in toto ferè Occidente, ac præcipuè apud Gallos, Lusitanos, Scotos, & Insubres, qui Æthiopas & Mauros, atsi Christiana imbutos religione, cum liberis tamen ac nepotibus, perpetuam seruitutem seruire compellunt. Siculi verò, Candiani, & Equites Melitenses, miseros Roxolanos nostros è Turcica seruitute armis aut fuga sese vindicantes, seruorũ loco apud se detinent, nec sinunt ad pœnates remeare patrios, licet sint Christiani prout & illi.

Bod: l. 6. de Bello Gallico. & de Rep: l. 1. cap: 5.

Simili odio ducti in gentem nostram asserunt Germani,

mani, quod M. Antonius Sabellicus olim falſiſſimè in ſua Hiſtoria ſcripſerat, in Lithuania coniugiorum ſanctitatem riualium licentia temerari, qui conſultò à maritis in gratiam vxorum fouentur: cumq; morem perpetuum eſſe dicunt, quicunq; nuper Geographiæ, aut populorum deſcriptioni applicant manum. O ſcelus! aſſerere de Lituania quæ in media ferè Chriſtianitate poſita eſt, quaſi de India, quæ Chriſtum adhuc neſciat, & remotiſsimis Americæ finibus claudatur. O inuerecundiam, affirmare de Septentrionalibus, qui vagas etiam quaſuis voluptates ſummè deteſtantur, quod ne in cœca quidem Æthiopum gentilitate toleratur: cum & in brutis quibuſdam animantibus vis naturæ hoc exprimat, vt fidem coniugij adulterio pollutam atroci proſequantur pœna. Plinius enim author eſt, Leonem odore Pardi coitum ſentire in adultera, totaq; vi conſurgere in pœnam, Idem & Elephantes adulteria ignorare, nullaq; propter fœminas prælia inter ſe ciere tradit. Alibi medius fidius alibi, non apud Polonos adulteria non puniri, magni nominis I. C. Ioannes Faber, nonnulliq; alij authores ſcripſerunt, Sarmatæ furtiuos quoque complexus ſeueriſſimè puniunt, Salaciſſimorum Auſtri populorum hoc ſcelus proprium eſt, qui in turpiſſimis Veneris caſtris, ferè ſine vlla pudoris & honeſti memoria, & ſine metu pœnæ luxuriantur: qui in ſacris etiam locis de explenda libidine cogitant, (ac propterea fœminæ eorum obſcuriora templorum oratoria intrare prohibentur) qui libros in publicum typis emittunt, quibus caſtitatem deturpant, temperantiam euertunt, vagam linguam & mentem formãt, innumeraque adulteriorum & effrenatarum libidinum ſtratagemata oſtendunt, & quibus matrimonia, quæ nos ſanctiſſi-

Archontologia Coſmica Dionyſii Gotfredi. Fercatul. in Pol. fel. Sylu. in Paral. Alſ. l. 4. c. 8 Mercurius Gallobelgicus T. 2.

Ant. Robe. rer. iudic. lib. 1. c. 14

ſanctiſſimè obſeruamus, furtiuis complexibus polluere docent. Caſtæ ab hoc flagitio Lituanorum mentes, quibus amor honeſti perennis, quibus pietas cordi eſt: & qui moribus Chriſtianis, literarum doctrinis, & omni virtute adeò exculti ſunt, vt cum omnibus alijs gentibus de virtutum gloria certare poſſint. Neque enim tam barbaro & rudi ingenio vnquam fuiſſe gens Lithuana putanda eſt, vt quam legem honeſti omnium animis natura inſeuit, ſola hæc oboleret. Neque dominatur in nobiliſſimo regno Poloniæ tantâ licentiâ venus illicita, quanta in Italia, Caſtilia, aut Valentia. Nec alimus ancillas, tanquam columbas, ad ſtuprandum vt in Luſitania, nec permittimus balnea promiſcua, vt habentur multis in locis Germaniæ: nec indomitæ libidinis fœminas proſtare patimur, vt in Sueuia: nec pluralitatem vxorum fouemus vt in Scotia, quorum Rex Euenus III. legem tulerat, vt cuiuis liceret pro opibus, quot alere poſſet, vxores ducere: vt Rex ante nuptias ſponſarum nobilium, Nobiles plebeiarum, prælibarent pudicitiam: vtq; plebeiorum vxores cum nobilitate communes eſſent. Nec habemus ſtupri legem Meridionalibus ſolennem (ſi modo eam legem appellare licet, & non immane potius ac nefarium ſcelus) qua Cyprij quondam virgines ante nuptias proſtituere ſolebant: qua Augiæ fœminas ſuas nocte qua nuberent omnium ſtupro exponebant. Nec admittimus demum illegitimè natos ad iura ſucceſsionis, vt ſolent facere Occidentales, nec ad ſacerdotia, opificia artificum, aut honores vllos: cum alibi ſceptra etiam ipſa capiant. Sed ſic caſtè & ad normam honeſtatis viuimus, vt inter altercandum nullam ab aduerſario labem thori polluti mentionem auribus excipiamus, obiectam

Bôter. in Rel. p. 1. l. 1. Clenar. lib. 1. Epiſt. Camerar. Cent. 1. c. 34 F. Faber H. Sueu. lib. 1. cap. 10. G. Buchan. rerum Scot. lib. 4.

verò sanguine aboleamus, & morte vlciscamur ipsa.

Quod autem fidem publicam spectat Equites, ausim ego dicere, nullam gentem sub sole esse, quæ nos possit æquare, ne dicam superare fidei stipulatæ firmitate aut certitudine. Quæ enim natio Christiana tam fida est, quę subiectionis terminos transgressa non violaret Principes suos? quæ tam constans, quæ pacta cum vicinis populis ob aliquam vtilitatem non infringeret? quæ tam candida & niuei pectoris, quæ transfugijs & proditionibus seipsam non commacularet? quæ tam veri ac verbi tenax, quæ externis Principibus subsidio veniens, ad illorum hostes ob maius lucrum non deficeret? Nulla profectò alia præter inclytos Sarmatas nostros, qui nusquam Regem suum occiderunt, nusquam vicinos fractis fœderibus inuáserunt, nusquam proditione aliqua seipsos macularunt. Legite historias, excutite annales, tabulas examinate & antiquitatem omnem, nullibi à Polonis fidem fractam repperietis: imò seruatam plurimis in locis cum vitæ discrimine animaduertetis. Sigismundus Imp. à Turcis ad Columbanum acie pulsus, cum Ioannem Zauissiũ cognomine Nigrum, Polonę cohortis ductorem, quem imprimis amabat, vellet fugiens secum nauicula piscatoria in tutiorem locum Danubio tranato deportare, non possum inquit Imperator proditis commilitonibus meis viuere, aut te fugientem sequi, qui eo animo castra tua secutus sum, vt vel vitæ periculo rem Christianam pro posse iuuarem. Et obuerso statim in hostẽ equo tamdiu cum barbaris pugnauit, donec à multitudine superatus in eorum potestatem viuus veniret: quem cum quisque suum captiuum habere vellet, quod armis splendidè & ab auro vestitus esset, inter altercandum indigna morte

occide-

occiderunt. Simile fidei, & in principem amoris exemplum in Gouoricio Palatino Sendomiriensi legimus, qui maluit innocens in exilium abire, quam impedimento esse Cazimiro Iusto ad Principatum Poloniæ à proceribus vocato hac lege vt Gouoricium ablegaret. Sed hæc antiquiora sunt, & à viris excellentibus facta, videamus recentiora & à plebeijs hominibus, non plebeio animo patrata, Iuonia Moldauiæ Princeps bellum Turcis intulerat, inq; commilitium mille ducentos Cosachos duce Suiersczouio è Polonia euocauerat; hi post tot victorias felices Turcam quendam ceperant, qui tantum lytri, modo ne duceretur ad Iuoniam victoribus dabat, quantum ter auro, & semel gemmis suum pondus in statera exæquaret. Ingens thesaurus! & præsertim viris militaribus, qui exigua pecuniola conducti vitam in periculum mittunt. Tamen maior illis fides fuit, quam Iuonæ spoponderant, Turcamq; illum tam diuitem ad eum deduxerunt, à quo non modo precij nihil quidquam acceperunt, sed vitam etiam ipsam cum illo, imò pro illo in acie effuderunt, cum iam Iuonia fraude Turcarum in colloquium euocatus, in frustra discerptus fuisset. Igitur indignam vlciscendo illius mortem tam diu pugnarunt donec occubuerint omnes, qui tamen integri abire poterant. Idem fecerunt, qui nostra ætate Michaelis Moldauiæ Palatini signa sequebantur contra Turcam. Idem qui pro Sigismundo Batthoreo Principe Transyluaniæ, proq; Rudolpho & Matthia Impp. & nuper pro Sereniss: Ferdinando II. contra rebelles Hæreticos pugnarunt: à quorum obsequio & fide, nullis promissis, nulloq; pretio se abducere sunt passi. Cum aliis gentibus commune & vsitatum sit transire ad hostes, vbi vel stipendi

Gorecius de bello Valachico.

pendi

pendia maiora numerantur, vel in suis castris, aut arcibus quas defendunt, commeatus inopia exoritur: vel vbi denique præsens vitæ periculum imminet. Experti sumus bellis nuperrimis, cum Turca, Moscho, & Suecis, præcipuè in Prussia, cum ad Gustauum turmatim, cum signis, centurionibus & Chiliarchis Germani & Galli, quorum alas aliquot habebamus, transfugerent. Habent enim illi animas venales, & velut gladiatores olim apud Romanos turpi pretio ad necem se auctorari patiuntur, & cuiuis stipendia numeranti militant: militantq; sæpè cõtrariis in exercitibus, aut transeunt vicissim ad hostem: tumultuanturq; leui ex occasione contra Principes suos, & sæpissimè innocuos trucidant. Vt enim hic taceam Scotos, qui tres & quinquaginta Reges, aut bellica vi, aut procerum insidiis crudeliter interemerunt. Vt omittam Anglos qui duodecem Reges ciuili conspiratione interfecerunt. Vt silcam Hispanos, qui toties armis Reges suos persecuti sunt, & Iuliano Comite authore, Mauros ex Africa in patriam induxerunt, quorum postea iugo tot ætates premebantur. Vt prætermittam & Gallos, qui Carolum Crassum regno eiecerunt, inq; Ludouicum XI. bellum innata leuitate susceperunt, Ioannem pro patria fortiter pugnantem & ab Anglis captum, liberare noluerunt, & nupera ætate duos Henricos sceleratissimi homines interemerunt. Non memorabo & Hungaros qui contra sanctum illum Regem & Apostolum suum Stephanum I. contraq; Sigismundum Imp. & Matthiam Coruinum, benè de se meritos Principes arma sumpserunt. Vt omittam & Græcos atque Romanos, qui singulos ferè Imperatores suos, aut occiderunt, aut excæcarunt, aut in exilium relegaruns. Soli Germani non

Iouius in Scotia.

Cuspi. in Carolo Crasso Ottho Frising. lib. 6. cap. 9. Bodin in Resp. ad Malest.

totis

totis trecentis annis, nouem Imperatores ciuili clade absorbserunt, præter eos qui Imperio se abdicare coacti sunt. Ita isti contumeliosè, ita flagitiosè in Augustalem dignitatem grassantur, & nunc decennio iam in sacratissimum caput Ferdinandi II. bellum perfidi moliuntur. Et tamen isti nobis non verentur exprobrare, quod Rixam assiduò cum fratribus mariti sui rixas exercentem, eorumq; Principatus per vim occupantem, noluerimus iterum recipere, cum spretis semel Polonis, cum filio Boleslao ad cognatos suos in Germaniam abiisset. Quod Lescum Nigrum nonnulli procerum contemnẽtes, Conradum Masouiorum Ducem ad Principandum vocauerint. Quod repulso Gulielmo Austriaco, Heduigim postremi Regis Ludouici filiam, Iagelloni homini barbaro elocauerimus. Quod Vladislaus prædicti Iagellonis F. ad Varnam postea occisus, Amurato Turcarum Tyranno fidem iuramento firmatam, non seruauerit: & Ladislaum infantem regno Hungarico hæreditario eiecerit. Quod Liuoniam atq; Borussiam Imperij Germanici prouincias interceperimus. Quodq; Archiducem Maximilianum vocatum ad regnum, clade affecerimus & ipsum captum in carcere detinuerimus. Hæc atque alia plurima, Auditores, homines fœdifragi & peruersi, candori nostro obijciunt, fidem Polonam è genio suo æstimantes, cum tamen longè diuersi sint mores nostri à moribus illorum, mensq; ipsa longè alia, vt qui omnem speciem reconditi astus natura odimus, faciliores decipi, quàm decipere, vt inquit Boterus & deprædari, quam nocere aptiores. Siquidem & latrocinia nullibi minora, quam in Polonia repperies, & in hac tanta quæ vulgò sigillatur licentia, pudore & reuerentia

Bod: de Rep: lib: 6. c. 5.

Radeuicus in appendice ad Ott: Frising. l. 1. cap: 1.

Cuspin in Amurat: 11. Leunclauius in Ann. Tu.

Boter: relat: de Pol.

magis, quàm metu aut formidine legum quidam sunt temperantes. Cùm interim alibi pasim, vel maxima seueritate animaduersionis populi in officio vix contineãtur. Vnd e& Rixam nimiũ cum Polonis rixantē quis eiectam dicere poterit, cum vltrò ad pœnates patrios abierit? volenti autem vt vulgò Legistæ dicunt quæ iniuria fit? aut quis recipere voluit post quinquennium redire cupientem, cum iam alia esset facies Poloniæ, & illa non contenta Principatu Maioris Poloniæ, qui marito illius de iure debebatur, omnibus quatuor tetrarchijs in quas diuisa tum Polonia erat, cupidè inhiabat. Igitur consobrinos turbanti à proceribus restitum est, & arma Germanica minitanti, exilium perpetuum indictum, à quo deinde nec Cæsarum potentia postliminio redire poterat. Quod verò Lescum Nigrum Principatu deturbatum à Conrado Masouiæ Duce, non ita cito vti oportebat, priori fortunæ proceres restituerint, in causa fuit calliditas Germanorum, sub prætextu affinitatis Poloniam inuadere volentium; quæ cum vnita grauis eorum ceruicibus esset, belloq; tum difficili Boemiam & Saxoniam totam diuexasset, vt vlciscerentur faciliùs iniurias suas, internis primùm discordijs cognatos Principes Poloniæ attritos & debilitatos esse volebant, atque Conradum potentiorem tum alijs in Lescum subornabant: cui deinde subsidio cum exercitu contra Conradum venientes, occupabant pro se loca munitiora Poloniæ. Eapropter suspectam toties Germanorum amicitiam habentes, noluimus Gulielmum Austriacum nobis regnare, eiq; prætulimus Iagellonem Lituaniæ Ducem potentem, partim quod Heduigis absque Senatus assensu Gulielmo matrimonij spem obtulisset, quod omninò per

leges

leges nostras fieri nequibat: partim quod multò maiorem ex Iagellonis nuptijs vtilitatem Respub. retulisset: vt potetot populorum conuersionem ad Christum, & tot prouinciarum adiectionem ad Regnum Poloniæ. Quod equidem regnum tam auctum prouincijs, tam illustre victorijs, tamq; opulentum rerum omnium copia, poterat sanè sufficere Vladislao, patri succedenti, nisi cum præstans & regia virtus multo pluribus sceptris dignum ostendisset, Hungarorumq; proceres pubicis votis ad capiendam coronam expetijssent. Qui deinde inopinatò discordes inter se facti, tot motus, tot bella dederunt: atque id ipsum dolo malo Germanorum. Hi enim ægrè ferentes bellicosissimum iuuenem duorum regnorum sceptris potiri, qui vnius regni viribus armatus, grauis eorum ceruicibus foret, persuaserunt Reginæ viduæ, infantem Ladislaum quantociùs Albæregiæ inaugurare, subq; Cæsaris Germanici patrocinium confugere, qui nec Sarmatam in nimiam potentiam excrescere fineret, nec possessione Regni Hungarici gentem Germanorum excludere pateretur: cum illa soror Cæsaris esset, & multos iam Germanos opimis possessionibus in Hungaria ditasset. Vladislaus itaque, vt erat natura animosus, tam notabilem cõtumeliam suffere nequiens, & puerum regem tota possessione Hungariæ vna cum matre eiecit, & Hungaros rebellantes sibi grauissimè mulctatus est. Atque tandem pro Crucis gloria bello contra Turcas suscepto, insigni victoria ad montem Aemum potitus, inducias decennales cum Amurate pepigerat. Sed quas Pontifice dispensante, non suo libitu ruperat, indignis persuasionibus Iuliani Cardinalis inductus. Nos enim Sarmatę fidem vnicuique seruamus inuiolabilem, toties-

Calimachus in vita Vladislai.

que ad bellum sociale à Christianis Principibus vocati contra Turcas, pactorum nexu asstricti excusauimus, quòd nihil appetamus cum noxa alterius. Sic Diuus Iagello oblatum sibi à proceribus Boemię regnū respuit, quod ius in illud prætenderent alij. Sic nepos eius Sigismundus, Daniæ & Sueciæ regna reiecit, quòd expulsus Christiernus, vim sibi fieri & iniuriam per literas quiritaretur. Sic nuper oblatam Silesiam neglexımus, ne pacta cum Imperio aliquo modo infringeremus. Cum assiduò lamententur Germanię proceres Liuoniam sibi & Borussiam à Polonis iniquè extortam esse, quæ duæ, inquiunt, nobilissimæ prouinciæ, coloniæ olim eorum fuerunt. Concedo vobis hanc laudem, ô nimium quiritabundi Alemani, concedo libenter, vestræ enim gentis homines, istas prouincias ita pulchrè vt nunc sunt, excoluerunt, vestraque lingua passim ferè illarum incolæ etiamnum vtuntur. Ast quod iniustè vobis ereptas esse dicitis, istud omnino nego, & quicquid per tot ætates criminando gentem nostram scrpsistis, totum falsissimum esse pronuncio. Cum liquido constet historias & nostras & vestras diligenter euoluenti, Prussiæ populos sui iuris suæque spontis prima ab origine fuisse, cum quibus tot bella Principes nostri gesserunt, Lesci illi fortes, Cazimiri, Boleslai, Vladislai, Masouiæque postea nonnulli Dynastę: sed quos primus Criuoustus perdomitos sub iugum miserat, & columnam illam ferream, vti supra diximus, perpetuum virtutis suæ ad posteros monumentum, ad Ossam fluuiū locauerat, Christiano cultu apud eos propagato. Quo illi postea reiecto, vt ad Idolorum seruitutem redierunt, sic & ad libertatem pristinam, iugo Polonorum excusso. Graues igitur vicinis Masouijs frequentibus excursionibus, &

bus, & Conradus Masouiorum tunc Princeps resistere illis nequiens, vestri Theutonici Ordinis Equitibus, ea tempestate Palæstina & Syria pulsis, receptaculum Terram Michalouiensem dederat, quo & Prussos in metu contineret: & afflictis tum rebus Christianis in Oriente, aliquatenus subueniret, (cum omnes per Europam sparsi Militares ordines, laudabili tum consuetudine, Rhodiensibus Equitibus, qui cum barbaris assiduè, vt in vicinia, præliabantur, collectas subsidio pecunias mittebant.) Ea tamen conditione & lege, vt postquam primum territorium aut vrbem aliquam in hostili solo virtute sua nacti fuerint, & in ea sibi mansionem firmauerint, districtum Michalouiensem Conrado Duci statim, tanquam legitimo proprietario restituerent. Cæterùm inpinguati illi frugibus nostris, extemplò benefactori suo recalcitrarunt: & non contenti Prouinciam Michalouiensem non restituisse. Dobrinensem insuper terram ei ademerunt, moxque aucti viribus è Germania vicinum Regibus Poloniæ, Pomeraniæ tractum auellere ausi: vrbesque illas quas in Prussia cis & vltra Vistulam sitas antiquitus possidebant, per summum scelus eripere conati sunt. Atque hinc bellum inter Crucigeros & gentem Polonam, quod multas deinde ætates durauit, Religiosis in Cuiauiam atque ipsam demum Poloniam arma inferentibus. Igitur castigati toties, & cladibus interdum ingentibus affecti, vt professione & habitu pietatem præseferebant, ita apud Principes Christianos passim fauores nanciscebantur: id autem hoc vnum agebant, vt non Prussiæ modò ac Pomeraniæ possessione Polonos excluderent, verùm vniuersa etiam Sarmatia potirentur. Cumque subditis nimium graues essent, & in rerum omnium copia, limites

Thomas Bosius Tomo 2. de Equit: Melit.

 hone-

honestatis & religionis excederent, prouinciales die constituta, eiectis præsidijs eorum, ad instar Vesperarum Siciliæ, ad Cazimirum Iagellonidem tanquam ad legitimum Dominum postliminio redierunt. Reliquum filius eius Sigismundus I, armis ademit, cum Luterana impietate infecti, arma in eum suasu Maximiliani I. Imp. mouissent; qui Moschis fœdere iunctus quærebat, quomodo Polonos opprimere potuisset. Fracti itaque Mariani bello, ad preces & clementiam Sigismundi versi; & Albertus Brandeburgensis eorum Magister, quod ex sorore Sigismundi prognatus esset, nec haberet dignam sua fortuna possessionem, partem Prussiæ ab Auunculo iure Fœudi & titulum Ducis impetrauit. Non itaque adempta vobis Germani Prussiæ prouincia, sed ab iniustis possessoribus vindicata velut membrum ad suum corpus, Regnum Poloniæ rediјt: non erepta viris Religiosis, sed ab ingratis beneficiarijs, & ab Ecclesia Catholica transfugis Apostatis recuperata; non violata fœdera & pacta vetustissima cum Imperio, sed toties illata iniuria à turbulentis & inquietis hominibus bello propulsata, & prouincia vsucapionis ab antiquo nostra, Regno restituta & incorporata. Simili ferè successu, & in Liuonia iuri vestro nihil quidquam derogauimus, sed post tot bella, totq; motus, quibus haud impunè gentem nostram lacessiuistis, ad extremum supplices in tutelam Liuones recepimus, cum fidei Catholicæ boni illi religiosi desertores facti à Moscho, Dano atque Sueco armis opprimerentur. Hi in Germania ob ciuiles tumultus nullam protectionem inuenientes, ad Regem Augustum, Sigismundi F. suasu Caroli V. vltrò confugerunt, & insignia Ordinis, Crucem nimirum & sigillum, Vilnam venientes de-

tes deposuerunt, Anno reparatæ salutis 1559. Quos Rex in gratiam & tutelam receptos, metu hostium liberauit. Magistrumq; eorum Gottardum Ketlerum, Curlandiæ & Semigalliæ Ducem, patris sui exemplo, appellauit, Liuoniam verò in formã prouinciæ redegit, adq; libertatẽ & immunitates nostras, incolas eius admisit. Quã deinde Fatis Augusto Rege sublato, ingenti cum exercitu Moschus inuaserat, Estoniamq; ferè totã & arces Liuoniæ plurimas per vim occupauerat, rusticis ipsis se potissimũ ducibus ad inuadendas nobiliũ domos hosti præbẽtibus; sed fractus à Stephano Rege tota eius possessione cessit, & multa etiam de suo amisit. Nostraq; ætate Serenissimus Rex Sigismundus Tertius, Carolum Sudermanum Patruum suum, feliciter inde eiecit, Gustauumq, modò, dolum paternum æmulantem armis reprimit, & quidquid sub Sarmatico sceptro componitur fortissimè tuetur. Quin & Maximilianum Archiducẽ eam ob causam, per Ioannem Zamoscium, à Regni possessione repulit, quod non fuerit omnium Ordinum concordibus suffragijs electus, sed paucorum tantum modò procerum votis, Austriacæ domui addictorum. Verùm & hic fidem constantiamq; nostram aduertite; quod ex illis, qui eum ad regni coronam vocauerant, plurimi maluerint in Germania vestra exulare, quam semel obstrictam Austriacæ domui fidem infringere, atque ad suas possessiones in patriam redire; licet optimum & clementissimum Regẽ habeamus, & qui publico Senatus decreto omnibus Augustissimæ illi prosapiæ adhærentibus ignouisset, priusquam ipse affinitatem cum ea contraxisset. Ergo Regem habemus Auditores, optimum, clementissimum, felicissimum, votis ciuium, ob virtutem, non aliqua iura sue-

Andr: Volanus Liuonien: de libertate Politica.

ra successionis electum: non verò statum popularem seu Oligarchiam, qualem inepté nobis aduersarij nostri obijciunt, & meras calumniando blaterant nugas. Sed quia in vnaquaque Rep. frustra essent leges, nisi essent qui eas exequerentur ideo omnibus seculis in vnaquaque ciuium societate diligenter semper fuit quæsitum, quibus potissmum Reip. gubernacula & custodia ac potestas legum exequendarum essent committenda. Et cum alij aliam gubernandæ Reip. rationem instituerent, nostra Polonia omnes tres simul Rerump. species à Philosopho descriptas, certa quadam omnium moderatione adhibita, inuicem permixtas habet. Quarum etsi vnaquaque in suo persistens statu, & non in contrarium degenerans vicium, plurimum boni & commodi suis afferat ciuibus: tamen prisco seculo, & apud Romanos, & apud Græcos solus popularis status præ cæteris fuit approbatus, Regia autem potestas tanquam libertatis communis inimica omnino fuit inuisa. Nec verò quasi administratio Regia per se sit iniqua, ideo alieno ab ea illi fuerunt animo, sed quia vel sola illo tempore, vt testatur Iustinus, arbitria Regum pro legibus erant: vel si quæ essent leges, ex libidine potius Regum, quàm commodo ciuium essent institutæ: propterea cum ad nutum & voluntatem vnius principis gererentur omnia, solusque ipse sibi gereret imperium, oblitus vtilitatis publicæ, non nisi cum certa seruitute & oppresione ciuium, talis coniuncta erat administratio. Ea propter gubernatio patriæ nostræ, ita ex omnibus optimis Reipub. formis composita est, vt leges non pro arbitrio Regis, sed pro vtilitate publica, ipsi ciues condamus nobis: quarum custodiam patres conscripti tenent, executionem verò Princeps,

atque

atque eius administri. Tantaq; affinitas est inter legem & Regem, vt nihil aliud Regem agnoscamus esse, quam legem loquentem; vt quam lex in chartis aut tabulis cõtinet honesti sententiam, eam Rex ore & voce promptam habeat. Cuius potestatem ita popularem esse maiores nostri voluerunt, vt maxima ac suprema haberetur; & ita primaria existeret, vt obseruationi non formidini, admirationi non terrori, verecundiæ non obtrectationi esset. Ipsumq; ius regiæ potentiæ adeò sacrum, adeoq; sanctum, vt quemadmodum ipsorum regum personas à maleficio atq; insolentia vulgi tutas constituissent, ita ne illis quidem liceret in vllum noxiorum ciuium, quopiam supplicij genere sine consilio Senatus animaduertere, aut per suos satellites captiuare, nisi prius iure victum. Vt autem Regiæ maiestati vindices libertatis Senatores, sic deinde Senatorum authoritati oppositum Legatorum municipalium collegium, vt olim Tribunos Romanis Consulibus, nunc in Comitijs nostris adhibemus, vt post serias disceptationes singulorum, relata ad se consilia Rex, executioni mandaret tantùm, non præciperet: communibusq; omnium plus obsecundaret commodis, quam seruitutis imponeret iugum. Ac proinde eum non regnare, sed regere populos iussimus, quorum magni animi, nimiumq; libertate tumentes, nequaquam dura imperia pati possunt. Neq; alia ingentior nobis cura, quam ne quid de ijs prærogatiuis decedat, quas tam à multis ætatibus intemeratas habemus. Sic igitur Regi nostro in omnes est, sed certa & castigata potentia. Nam & lege Agraria tenetur, qua publicos agros alienare prohibetur sine Ordinum consensu: & monetam sine publici consilij autoritate cudere aut

mutare nullatenus potest: prout nec vectigalia prouinciis imponere, nec vxorem ducere, nec bella vicinis indicere, aut fœdera sancire cum eis. Si enim ista hæreditate capientibus sceptra facere nō licet, Anglo nimirum, Gallo, Hispano, Succo, quid licere debet suffragiis ciuium electo? qui non vt condiat leges, venit; sed vt legibus præsit, & eis ipse pareat. Non facit monetur à Senatu: contemnit, ciuium precibus cogitur: qui prudentissimè tranquillitati regni sui, & communi libertati prospexerunt, certisque legum cancellis Principem suum circumscripserunt, vt nihil ille in ciuium capita moliri, nihil in fortunas tentare audeat, nisi quod lex ipsa, & ciuiū omnium, & Regis domina suaserit aut mandauerit. Hinc que est, quod alibi mixti ciuium animi semperque pendentes sunt, inter gloriosæ libertatis cupiditatem, & Principis grauem potentiam, apud nos perpetuò securi, quod neque Rex in subditos quidquam potest, legibus vti dixi circumscriptus, neq; subditi metuere, freno impotenti eius libidini imposito: ita tamen, ne sub regii nominis velamento splendidam seruiret seruitutem, quod aduersarii exprobrant statum patriæ nostræ ignorantes. Qui propterea dicunt nos externum Principem ad Regnum vocare solere, quod è suis nemo tantum seruitutis onus subire velit, nisi fortè ignarus, & qualem à longe petere oportet; tum quod inter nos nullus ita generosus nascatur, vt dignus censeatur esse imperio. Vtrumque vt dixi malè concoctum ab inuidis, neque enim Rex apud nos serui, sed rectoris summi officio fungitur, neq; nos ita degeneres sumus, vt regio muneri impares simus, cum singulis ferè nobilibus altæ & ad Rerumpub. gubernationē validæ nascantur mentes, adque omnem fortunam idoneæ,

Fr. Hotom. in Francor. G. c. 25. Bod. M. H. c. 6. & de Rep. l. c. 4. Aymonius Monachus lr. 4. c. 116 117. Cominæus l. 10. & Buleuger de Vectig. R. P. c. 28.

neæ. Sed quod certè omnes pari libertate viuamus, nec sinamus vnum eminere supra alios, nisi vniuersorum suffragijs assumptum, & virtute præstantiorem: siue ille nostri sanguinis sit, vt incipiens à Lecho vsque ad Ludouicum Regem omnes Principes fuerunt: siue externi, vt Ludouicus, Iagello, Henricus, Stephanus, & Serenissimus Rex noster modernus Sigismundus Tertius, quem ob sanguinis propinquitatem in Regem assumpsimus, nō ob iura sanguinis. Nam etsi filios interdum vti diximus, à solio paterno non excludimus, suffragijs tamen liberis electum sublimamus, non hæreditate obtrusum: quòd successionis prærogatiua nimirum sæpissimè ineptum dare soleat. Atqui *inter regna*, dices cum Lansio, *ita frequēter Poloniam vestram exhaustam & exanguem effecerant, vt nullus apud vos vel rogatus regnare voluerit, Et Vladislao ad Varnam occiso vix reperiri potuerit qui regnum illud suscipere vellet. Similiterq́ Augusto fatis functo Henricus qui successerat, conciliatoribus regni Polonici, Ioanni Monlucio Valentiæ Episcopo, & Francisco Noalio Episcopo Aquensi, non modo gratiam non rependit regno Galliæ potitus, sed ad mortem vsque vehementißimè irascebatur. Eiu q́ Aulici Poloniam barbariei ac miseriarum propriam sedem, perpetuumq́ domicilium nuncupabant, deridentes legatos Polonorum, qui decretum electionis in Galliam attulerant, quod cautionem à nouo Rege efflagitarent, ne prædia aut bona in Regno Poloniæ suis Gallis attribueret, cum ex illorum numero, nemo tam abiectæ sortis esset, vt Magnus Dux Lituaniæ esse optaret.* O hominum insaniā! ô leuitatem ingentem! non posse repperiri hominem qui Regnum Poloniæ acciperet? irasci ei qui illud conciliaret? Nequaquam Auditores, nequaquam. Regnum enim etsi nescio quam pauperrimum, ita tamen Deorum ho-

Thomas Lansius Oratione contra Polon.

 minum-

minumque iudicio res pulcherrima censetur, vt eius causa omnia iura violenda esse putent. Quid verò nostrum Sarmaticum, opulentissimum, populosissimum, & quod vltra quindecim myriades nobilium Equitũ alit: & quod à multis potentissimisque Principibus, etiam ab ipsis Imperatoribus Romanis toties expetitum fuit? Quod, si ab effœminatarum gentium Dynastis non ambiebatur, quid mirum? siquidem tales luxuriæ, otio, & inertiæ dediti, non audent aciem fortissimorum populorum intueri, nõ aspirant ad clauum, vbi bellorum tempestatem vident, præsertim cum sentiant anteactam vitam suam subijci oportere tempore electionis, prudenti censorum trutinæ. Qui tamen æternitatem meditantur, & famam futuram inspiciũt, gloriosum putant bellicosissimis populis præesse, varijsque nituntur modis, quo possint Sarmatici Imperij habenas, forti dextera regere. Atque sic Principes potentissimos quouis interregni tempore, plurimos competitores habuimus, & quod nullum certè aliud electiuum Regnum. Post occisum verò à Turcis Vladislaum Iagellonidem, immortali gloria dignissimum Regem, ideo nulli extranei Candidati fuerunt, quod frater suus Cazimirus, Ducis Lituaniç titulo à Vladislao ipso auctus, Regnum Poloniæ in eius absentia administraret, omniumque ciuium calculis, vt primum Fatum Regis innotuit, ad regnum expetitus esset. Filijque eius deinde sceptris potiti, non tantùm nobis Sarmatis regnarunt, sed & Böemis, & Hungaris, & alijs fortissimis populis. Post obitum verò Sigismundi Augusti nepotis eius, & Imperator Maximilianus Secundus, & eius filius Ernestus, & Alphonsus Dux Ferrariæ, & Basilius Tyrannus Moscouiæ, & Ioannes Rex Succiæ, & alij excellentissimi Satrapæ, regnum Poloniç ingeni-

ingentibus pollicitationibus ambigebant, quibus nequaquam ita vile videbatur, vt Aulicis Henrici Tertij, quinimò nec ipsi Henrico, qui omnes suas possessiones, omnesq; prouentus Andegauensis Dominij in vsum & vtilitatem Regni Polonici offerebat, modò sceptris eius potiri potuisset, & virtutem suam contra barbaras gentes bella gerendo, Orbi monstrare valuisset. Et audent Aulici eius apud Lansium adeò vanè se iactare, vt nullus voluerit Ducatum Lithuaniæ accipere? Profectò non pro Aulicis tam opulentus Principatus, & quem Magni Reges exoptarũt! vtpote cuius latitudo sexaginta, longitudo verò octuaginta milliaria Germanica continet: & qui sexaginta equitum, triginta & amplius millia peditum, in hostem educere potest: idq; sine vllis stipendijs sui Principis. Reuera non habebant gustum istarum rerum Galli! neq; credo Henricus ipse sciebat, quid in tam amplo & nobili regno possidebat: alias enim inconsulto Senatu in Gallias non abijsset, nec auctus paterno regno, suos Sarmatas neglexisset, quorum robora, opes, arma, & animos inuictos tantopere admirabatur. Sed effecerunt adulatores Aulici, vt & inglorius viueret, & mortem oppeteret sua fortuna indignam. Quare nec Monlucio atque Noalio, regni Polonici conciliatoribus irascebatur, sed vt Thuanus inquit reuerebatur viros & pudebat, quod tam nobile regnum, eorum industria acquisitum, sua inconstantia perdidisset. *At*, inquies, *non erat quod pœniteret, gentem enim barbaram, ferocem, paupe- rem, eamq; arrogantem reliquit, quæ nec mores cultiores habeat, nec lautitias aut elegantias intelligat, sed quæ in tugurijs tantùm stabuletur, in syluis habitet, linguam barbaram habeat, sordidum habitum deferat, & de quibus verißime eiusdem Henrici III.*

Thuanus li. 56. & seq.

Lansinus Orati. contra Poloniã

 rici III.

rici III. quidam Aulicus idiomate Gallico scripserit, se nunquam vidiße regionem æquè miseram, nuspiam tot nobiles pauperes, agrestes, efferos, & tamen arrogantia ita barbarè ferocientes, vt omnes alias nationes dedignentur: quod nisi quis præsens Polonorum consuetudine familiariter fuerit vsus, & ab ipsa experientia hauserit fidem, videbitur incredibile esse. Profectò incredibile Auditores, quòd prudens, & tam magni Regis Aulicus talia de nobis prodiderit, nisi fortè ganeo quispiam, aut lurco popinarum Parisiensium, qui se per Ironiam (vt gens illa facetias & ludicra amat) Regium aulicum appellauerit: quemadmodum etiam apud nos similium iocorum elegantisq; dicacitatis author Ianuarius Souisralius, Generalē se esse dicebat; non exercituum sanè, neq; Præfectorum Reipub. sed morionum, apparitorum, & circulatorum omnium. Sic, quum Henricus Rex ob leuitatem quandam, tam amplum tamque nobile Regnum amisisset, adulatores Aulici, quo facti dedecus eleuarent, scriptis varijs extenuabant cœli Sarmatici dotes, monstrantes Henricum rem friuolam, & parui momenti perdidisse: quod adhuc Lansius scripti illius (si dijs placet) Gallici interpres eo magis extenuat, aiens. *Poloniam ita rem futilem & nihili esse, vt qui author eam scriptis suis celebraret, faceret hoc velut illi qui ingenij ostentandi, Asinum, lutum, passerem, febrem, aut aliquam aliam rem friuolam suis orationibus celebrant.* Ita enim natura fit, Auditores, vt qui oculis strabi sunt, omnia quæquæ vident, curua esse cernunt: sic qui affectu in alios inardescunt, siue irascibili, siue concupiscibili, aut laudant singula in eis, aut vituperant prorsus. Germani quoque naturali antipatia quadam, male affecti nobis, etsi proba nonnulla dignaque omni prædicatione encomiorum

Lansf. Oratione contra Poloniam.

in Polonia vident, vituperant nihilominus omnia: quæque alij populi vel per iocum scribunt, aut loquuntur de Sarmatis, illi, de veteribus quoque barbaris asserta, de nobis scripta pro certo adfirmant, hodieq; agrestes illos mores & ritus gentiles inter Polonos durare dicunt. Atque ita humanitatem illam qua Gallos cum Henrico venientes excepimus, illas opes quas in eius aduentum effudimus, illos exercitus, quos intranti regnum præsentauimus, illos triumphos, illos arcus, quos fecimus capienti coronam, quos orbis mirabatur, quos posteritas deprædicat, & quos externi quoque scriptores plurimi calamo celebrarunt: hoc isti vnico verbo barbariem, ferociam & egestatem appellarunt: velut vulpes illa Æsopica farcimen suillum ex altiori casæ rusticanę fenestra appensum, cum saltu iterato assequi nequiuisset, funiculum pendere dixit. Quamuis enim artes nullas habeamus nos, quæ animos viriles effœminare possint, ad humanę tamen consuetudinis culturam natura faciles sumus: præcipuè Nobilitas ipsa, quibus animus ad excipiendos peregrinos sponte factus. Et famam illius comitatis cum honesto ambitu quærimus, vt neminem possit peregrinationis Sarmaticæ pœnitere, nisi auersis incultisq; moribus in barbariem natum, aut indignum, qui nobilium cōsortio misceatur. Inter multas siquidem easque insignes gentis nostræ virtutes, magna in primis summæ cuiusdam humanitatis & hospitalitatis habetur commendatio. Nullamq; ferè aliam nationem perinde singulari beneuolentia in omnes bonos propendentem, & omnia singularis amicitiæ officia, exteris etiam, non tantum ciuibus suis communicantem videas, atque gens nostra est. Licetq; regiones nostras magno etiam comitatu quam minimo

Vide librum Italicum de Coronatione Henrici, Brixiæ editum.

minimo sumptu & impensa peragrare, hominibus nostris benignè hospites ad se inuitantibus, & vltrò omnia ad lautiorem etiam victum sine vlla mercede suppeditantibus. Non loquor de diuersorijs publicis, quæ non sunt ita magnificè aut commodè vt alibi extracta, sed in quibus tamen iustiore precio quam in reliquis fit nationibus omnia præbentur hospiti. Sed nobilium & agricolarum etiam domus, adeò omnibus sunt expositæ, adeò in omnia hospitalitatis iura propensæ, vt tenacitatis aliquam suspicionem præbere, & non largè ac affatim cuncta suppeditare hospiti, maximi cuiusdam criminis reputetur loco. Iam verò quanta sit affabilitas, quanta inter omnes comitas, quam prompta omnium officiorum communicatio, recensere non attinet, cum ea quotidianis cognoscantur experimentis, Europaq; adeo vniuersa admiretur, quod delicatiores etiam populi ad nos commeent, & nostra lenitate perfruantur: passimq; inuenias in toto regno Italos, Gallos, Batauos, Scotos, Anglos, Armenos atq; Græcos, qui patrio solo relicto, sedem sibi apud nos fixerunt. Sed maximè Germani, qui nos tantopere execrantur: nec vrbem aut oppidum in tota Polonia inuenias, vbi non habitent illius gentis homines. Certè non quapiam alia re allecti, nisi opulentia & comitate nostra, qui eos vrbicæ plebi facilè adscribimus, omnibusq; prærogatiuis & libertatibus frui permittimus, quibus & nostri incolæ gaudent. Nec dedignantur illi habitum nostrum, quem tantopere deridet Lansius, fortasse non visum, aut nec auditum, quod veteres Romani eo vterentur, & quicunque alij principatum in orbe tenuerunt, Græci, Parthi, Macedones, Persæ, & qui per totum Orientem, & meridiem etiamnum sparsi degunt:

paucis

paucis Occidentalibus qui brachati incedebant, exceptis. Quod verò de habitu dictum est, Auditores, idem ferè & de ædificiorum structura sentiendum est, quod & Oriens vniuersus ferè, & Septentrio, & Meridies, parum sumptuosè ædificent. Ita enim natura, prouida omnium parens effecit, vt vbi lapidis ad fabricandum copia desit, ibi syluarum densitas materiem suppeditet. Ædificamus igitur è trabibus, non ad necessitatem tantùm, verùm & ad splendorem atque admirationem extraneorum. Vbi verò lapidis & cementi copia habetur, ad præscriptum architectonicæ fabricamus. Habetq; Rex noster, & optimates plurimi, palatia murata, quæ Italorum etiam structuras exæquant. Sed nec in Germania passim superba marmora conspiciuntur, qui nos Satyrorum more in syluis degi adfirmant, nec Angli certè aut Sueci sumptuosa ædificia habent, prout & Turcæ, Moschi, Persæ, Æthiopes aliæq; infinitę Orientis & Occidentis solis habitatores. Horum consuetudine & Samogitæ nostri ac Lithuani, nolunt magnificis ædibus studere, præsertim vbi materia ad fabricandum trans mare petenda esset, sufficit ab iniurijs cæli esse tutos, cum nihilominus tamen plurimas domus latericias, & arces habeant splendidissimas.

At hic inopiam nobis atque egestatem obijciunt, quam inquiunt Nobiles Poloniæ fuco titulorum & inutili satellicio velant, non vera ac solida virtute exornant: cum & solum sterile habeant, & syluas instructiferas, & cœlum adeò frigidum, vt arbores etiam brumæ tempore arescant, & flumina sic congelentur vt integros exercitus, cum machinis quoque & impedimentis bellicis glacies sustineat; nec possunt rebus ad gloriam parandam destituti, facilè è tenebris barbariei emergere, atque

Thom. Lansius in Oratione cōtra Poloniam.

 inclare-

inclarescere inter gentes, Hæc Lansius & alij, sed quam absurdè, videte. Quis enim pauper ingentem comitatum fouere potest? quis ipse egens satellicio ad pompam vtetur? quis titulis apud Regem suum gloriabitur, cum ille omnium subditorum suorum stirpes, merita, & fortunas probè ipse nouerit? quis eiusmodi virum ignobilem aut inopem dicet, qui integris cohortibus militum septus, Regi & patriæ suæ præsto semper est? quomodo transmarinis ingentem frumentorum vim diuendet, cum ipse domi suæ egeat? Profectò Auditores, qui ipsi sibi contraria adferunt tales teste Philosopho mendaces oportet esse. Ita qui nobis paupertatem, fastum titulorum & Satellicij multitudinem exprobrant, ipsi verò ne fame intereant, aut commeatus à nobis multa pecunia parant, aut patrio solo relicto apud nos sedem ipsi figunt, aut bellorum difficultate ingruente, subsidia à nobis petunt, tales à veritate alienissimos esse credendum est. Quis enim quæso tam vecors erit, vt Patriam nostrā septēdecim prouincijs constantē, Maiori nimirum & Minori Polonia, Alba & Rubea Russia, Pocucia, Volhynia, Podolia, Vkraina, Lithuania, Liuonia, Samogitia, Podlachia, Masouia, Cuiauia, Cassubia, Prussia & Pomerania, quarum singulæ in tot opulentissimos districtus diuiduntur, rem friuolam, futilem, & vmbræ asini simillimam dicat? quis inopem censebit, quæ metallorum varietate, frugum abundantia, fructuum bonitate, armentorumq; gregibus innumeris referta est? quis domi egere putabit, quæ non vicinis modò populis alimenta subministrat, sed ad vltimos vsque Iberos merces suas transmittit: & paucos ferè ante annos Italiā quoque fame subleuauit? quid dicā de Germanis, Battauis atque An-

Boterus Relatione de Polonia.

que Anglis, ad quos aſsiduè tritici, ſiliginis, hordei, auenæ, millij, canabis, lini, ſeui, alutæ, vitrioli, nitri, mellis, picis, ceræ, reſinæ, lupuli, plumbi, æris, ferri, coriorum, ſuccini, lazurij, orichalci, boumq; & equorum vim penè infinitam emittit, vt hic cinerem & coccum tingendæ purpuræ alioſque inæſtimabiles Reni Sarmatici theſauros omittam: tum ligna vaſibus parandis neceſſaria, vt aſſeres, malos, cæteramque materiem fabricæ aptam. Quarum equidem mercium non Auſtria modo, Sileſia aut Noricum vim ingentem habet, ſed omnia penitùs celebriora Septentrionis & Occidentis emporia referta ſunt. Ob quarum ego rerum copiam, hominumq; noſtratium excellentiam, non antefero omnibus Europæ prouincijs Poloniam, cum nullus adhuc extiterit populus in Orbe, cuius virtutes nullo vitiorum confinio læderentur: nullaq: telus adeo rerum omnium ferax reperiatur, vt non indigeat rebus aliunde importatis. Hoc tamen candidè affirmo, ita commodè Poloniam noſtram rebus omnibus neceſſarijs ad viuendum, & tuendam dignitatem ſuam abundare, vt præter vinum. (vua tamen ad comedendum non caremus) ſericum, atque aromata, nulla alia re ab exteris importata habeat opus. Quod enim olim in producendo frumento principatum tenuit Bœotia, deinde Sicilia, mox Africa, & tandem Græcia atque Hungaria, hoc nuper ſola, idq; multo maiore copia, præſtat Podolia; cuius ager vndique eſt benignus, lætus, copioſus, ad ſegetes aliaq; omnia proferenda ſupra modum adcommodus, Quid verò Volhynia prodigè ferax? Quid Ruſsia? quæ non à bobus tantum ſuam commendationem promeruit, quos per totam Europam mittit, ſed equis etiam generoſiſsimis, & ouium gregi-

 bus eſt

bus est nobilis, itemq; piscium ac volucrum copia percelebris: & quicquid animalium venatio, piscatio, & aucupium desiderant. Taceo reliquas prouincias regni, quarum vbertas innumeris petet argumentis. Taceo syluarum vtilitatem, quas exteri damnant in Lituania, cum & necessitatem illarum ad frigus arcendum, & pretiosas inde pelles penitùs ignorent: vbi itidem ac in Polonia omni prouentu felix solum vberrimas segetes aiit, pascuorumq; ingentium fidem exteris gentibus facit, venalibus per vltra marinas prouincias armẽtis & suillis carnibus. Similiter vicina Samogitia, olim quoque syluis & incolis fera, nunc oppidis passim insignis: nemoribus enim quibus immensis tegebatur, ad vsum decusq́ castigatis, frumenta producit. Taceo flumina nauigabilia, piscosa & amœna, & quæ viridissimo riparum vestitu pinguibus aruis Poloniam interfluunt. Quin & oram maritimam silentio transeo, quæ pluribus introrsum æstuarijs ad omnium rerum copiam inuehendam euehendamq; facili patet in Prussia, Liuonia, Curlandia, Samogitia & Pomerania accessu: in quibus sanè prouincijs, vt & in reliqua Polonia, ingentem volucrum & ferarum vim ad aucupium & venatum, paludes, luci, saltusq, suppeditant. Quarum equidem rerum, non vsquequaque reliqui Europæ populi copiam habent. Cum & in Hispania passim solitudines esse sciam, magnamq; versus Piræneos montes in toto regno armentorum, pabulorum, herbarum, lignorum, & aliarum rerum necessariarum inopiã Et in Italia plurimi pagi deserti ac desolati, passimq; montes petrei & infrugiferi: maximè circa Florentiam, Genuam & Vercellas. Sed & circa vrbem orbis Romam plures armentorum greges, quàm homines conspi-

Boterus Rel de Hisp. Lansius cõtra Hisp. & Ital.

conſpiciuntur, quaſi ouibus & bobus veteres illi orbis domitores ceſſerint. Et Anglia plures poſcit, quam habet colonos, præcipuè Norhumbriæ aſperum & peſſimum ſolum. Portlandia autem adeò ſyluis eſt indiga, vt incolæ ad ignem alendum fimo bubulo ſole exſiccato vtantur. Et in Germania nimiùm Heluetia ſterilis: Haſſia infœcundis montibus deformis: Marchia Brandeburgenſis & Veſtphalia arena & paludibus ſunt inhonoræ: Styria, Carinthia & Norimbergenſes egeſtate laborant; Sileſij verò abſque frugibus & carnibus è Polonia comparatis nequaquam viuere poſſunt. Quid igitur mirum, ſi proceres noſtri plures ſatellites alant, cum omnium rerum ad victum ſpectantium copia infinita abundent, & fortiſſimæ genti multum cibum de auium ferarumq; armentorum etiam & gregum frequentia natura parauit. Siquidem & egeni Hiſpani plures ſeruos habere ſoleant, quos fame tantummodo ſplendidæ emacerant, non verò cibo conuenienti ſuſtentant. Noſtri autem omni affluentia felices, non ad otium aut pompam ſeruorum caudas ingentes trahunt. ſed vt præſto ſint, cum quibus inopinatis barbarorum irruptionibus occurrant, ſeque murum in patentibus illis Podolię campis opponant: maximè quibus in confinio Scytharum, Dacorum atque Moſcorum poſſeſſiones ſuas habere contigit, & quibus animus cupidine laudis ardet, impatiens cõtumeliarum. Et quamuis non æquè omnes ſumus diuites, omnes attamen pari libertate gaudemus, & ſatellites non ad præſcriptum, ſed ad libitum fouemus, tituloſq; æquales omnes habemus, & communi vocabulo Nobiles ſeu Equites nuncupamur. Exceptis qui Senatoria prætexta, aut officijs Magiſtratibuſq; prouinciarum eminent: præ-

P. Matth. in Diſc. fun. H. IV. Gal. Regis.

Cam. in Br.

Duretrig. pag. 154.

Lanſius contra Germanima

Vide Equitẽ Polonum ad Vrban. VIII

ter pu-

ter publica autem munia, nullus ſibi titulos nouos, aut dignationes fingere poteſt; niſi fortè quis apud externos Principes virtute ſibi nouos honores pepererit, aut de ſtirpe veterum Lituaniæ aut Ruſsiæ Principum originem traxerit, vt ſunt Duces Oſtrogij, Zbarauij, Viſnio-uiecij, Czartoriſcij, Sanguſcones, alijque plurimi, genus ſuum à Iagellonis Regis fratribus germanis nouem, octo verò patruelibus, per lineam ducentes. E quorum vno ſtirpem ſuam ducunt illi quoque Duces Gedrucenſes, quos Lanſius, in ſua contra Poloniã Oratione, pro exem plo ponit, & pauperrimos nuncupat. qui nihilominus Samogitię nobiles ſunt illuſtres, & ijſdem legibus atque prærogatiuis, quibus & vniuerſa Poloniæ Nobilitas vtitur, gaudet: ſtrenuique ſemper in bellis milites & turmarum præfecti fuerunt. Vnus etiam ex illis Michàël nomine, ante annos circiter centum quinquaginta, Diui Auguſtini Regulam profeſſus, ſanctitatis opinione celebris Cracouiæ in templo S. Marci, in hodiernum vſque, Deo ſic diſponente, miraculis claret. Eiuſque inſtituti Fratres, hac noſtra ætate, alius ex eadem illuſtri familia vir prædiues, in Samogitiam euocauit, opimiſque poſſeſſionibus ditatos, Præpoſitum eorum iuſſu Pontificis Maximi Pauli Quinti, infula & pedo paſtorali cohoneſtauit. Hi igitur quia de ſtirpe Magnorum Ducum Lituanię deſcendunt, ea propter inſignibus Ducatus Lituanię, tanquam proprijs & gentilicijs vtuntur, quamuis reſpectu veteris Fortunæ, pauperes nunc cenſeantur eſſe. Iagello enim natu maximus iure antiquo & conſuetudine omnium Principum ad imperium euectus, data cuilibet ex fratribus honeſta & ſufficienti ad ſuſtentandum portione, omnes ipſe prouincias ſub regimeñ accepit: illi verò ſucceſſu tempo

tis filijs

ris filijs ac nepotibus aucti, dum singuli viritim & in capita diuidunt concessas sibi possessiones, randem ad paupertatem deuenerunt, suntque exæquati reliquis Equitibus. Sic fit in Hispania, Gallia, & Anglia. Sic in Germania Saxoniç, Bauariç, Cliuię, & Brunsuici Duces, faciunt, in Italia, Parmenses, Modinenses, Mantuani, & Florentini Principes, quibus mos est vnum præficere Dominio, reliquis verò fratribus, necessaria tantùm ad honestè viuendum subministrantur: qui licet in plurimos nepotes excrescunt, Ducum nihilominus titulos sibi ob generis præstantiam vsurpant. Quinimo alij vltra sortem & conditionem suam, titulos sibi vendicant. Et Scoti ferè omnes, qui per Europam vagātur deuoratis patrimonijs, ab obuijs stipēm emendicare non erubescunt, & se regia stirpe prognatos esse dicunt. Omnes Galli familias suas cum regio stemmate conglutinant. Omnes Itali Comites sese & Marchiones, sine Comitatu & Marchionatu, nuncupant Omnes Germani, Imperij Principes, Equites Aurati, & Liberi Barones appellari volunt, inq; titulis omnium villarum & pagorum quos possident nomina & cognomina præscribi amant. In Lusitania quoque, omnes volunt dici & haberi nobiles: magniq; probri instar est, aliquam profiteri artem. Castiliani denique omnibus ferè Europæis populis, ad ceremoniarum pompam, & longos titulorum tractus fuerunt duces: singulique nunc extra patriam Aurei velleris Comites se esse dicunt, & Grandes appellari volunt. Atque sic medius fidius Occidentales omnes, nobilitatem suam, fucis tantummodò titulorum incrustant, & se equites passim, sine equo & calcaribus vocitant, nobis verò Sarmatis iustos atque meritos honores exprobrant, qui nobilitatem nostram,

Munster Cosmo. l. 2. c. 9. & 15.

Mer. Cosm. p. 2. li. 2. cap. 8.

44

noſtram, illuſtribus factis veriùs, quam glorioſis appellationibus oſtendere nitimur: & in Ordinem Equeſtrem, non pecunia, cenſu, aut Principis fauore tranſimus, ſed generalibus Regni Comitijs, virtutem vniuſcuiuſq; adprobantibus. Et ſanè fuit hoc priſcis illis temporibus in poteſtate cuiuſuis ſitum, vt per virtutem quicunque vellet, ianuam poſteritati ſuæ ad claritatem nominis conciliandam aperire poſſet, licet extraneus fuerit & gentis alienæ. Nunc tamen animaduerſum, pariter in patriotas, ac in alienigenas: vt non niſi omnium Ordinum Regni arbitrio in album nobilitatis noſtræ inſcriberetur, quicunque præclaris animi dotibus & inſigni aliqua virtute nomen ſuum illuſtre reddiderit. Atque ſic pauló ſuperiore ætate, Suiſcius, Bielſcius, atque Andreas Iaroſlauius Moſchorum Dynaſtæ: proximiore verò Hieremias Daciæ Princeps, Corniactus Nobilis Cretenſis, & Bathoræus Stephani Regis nepos: atque nuperrimè Butlerus Irlandus, Germanicæ legionis bello Pruſſico Præfectus, & Bernarcius, Moldauiæ Palatinus, omnium Ordinum conſenſu, albo nobilitatis noſtræ ſunt aſſcripti. Vt hic vetuſtiſsimas familias & à hominum memoria remotas taceam. Firleorum videlicet è Franconia, Comitum Gurcanorum & Conopatiorum è Boemia, Duninorum è Cimbrica, Caſanouiorum & Prouanorum atque Scipionum ex Italia, aliorumq; plurimorum è diuerſis Europæ prouincijs & populis familias ſuas deriuantium. Sed & nuper præteritis Comitijs, illuſtres adeò viri, Comes de Donna è Sileſia, Sampachius Baro è Morauia & Comes de Humēno ex Hungaria, Sacratiſsimo pro eis Cæſare Ferdinando II. apud Ordines intercedente, indigenatum apud nos exoptarunt. Nec

infra ti-

infra titulos suos putant, nostræ nobilitati exæquari, quæ eximios animos, dignis suo ordine virtutibus excolit. Alibi enim non pudet nobilitatem mercari, non fœnerari, non cauponari, non alia æquè sordida exercere, dummodo ad rem & quæstum faciant. Nostræ gentis ita fert consuetudo, vt qui integram Ordinis huius conseruare velit dignitatem, bonorum terrestrium, hoc est villarum, prædiorum, arcium, aut oppidorum possesione gaudeat oportet. Nullas igitur sordidas aut seruiles artes huic ordini exercere licet, sed ex agricultura sola, & certis colonorum pensionibus, & alijs quascunque agri ferre possunt commodis omnibus, vitam sustentare. Nam si qui à possesione prædiorum exciderint, & ad artes mœchanicas sese contulerint, non iam amplius ex ordine nobilium censentur esse, sed mutata conditione vitæ pro plebeis reputantur. Sola autem liberalium artium aut militiæ studia isti hominum generi permissa sunt, vt quia & publica rerum administratio, & belli gerendi munera penes eum ordinem relinquuntur, has artes semper habeant meditatas, quibus solis & domi tranquillitas Reip. conseruatur, & foris ab incursu hostium defenditur. Expedit enim omninò Reip. in mutua hominum consociatione, & differentibus vitæ institutis, ad vsum rerum humanarum inuentis, talem hominum statum & ordinem existere, qui quidem artibus omnibus questuarijs posthabitis, eas tantum excolat, & diligenter exerceat, quæ solam dignitatem & vtilitatem Reip. habeant propositam. Non igitur otio torpemus desidi, aut luxu lasciuimus molli, sicut aliarum gentium corruptus mos est, quæ in vrbes suam nobilitatem cogunt. Sed per rura & villas sparsi, venationibus, ad bellorum simulachra ci-

enda, corporis firmitatem comparandam, atque tuendam prosperam valetudinem, vtimur. Decet enim eos non plebeis & vulgaribus intentos studijs esse, aut solum sapere quæstum, qui dignitate & prærogatiuis supra plebem excellere student. Proinde præter extraordinarias copias, quæ varijs locis, vbi res postulat comparantur, in Podolia, quâ Scythæ contigui sunt, firma ac certa præsidia, vbi nostra iuuentus eruditur, assiduè habemus, ibiq; cum cæli nostri tristitia atque asperitate certamus. Tantaq; semper apud ordinem nostrum Equestrem virtutis & dignitatis ratio habita fuit, vt vel in medios ruere hostes, & certæ occumbere morti, ad solam honesti officij iniectam mentionem nunquam dubitauerit. Et quod aliæ gentes non nisi certa mercede & præmio proposito peragunt, vt, aut in aciem descendant, aut hostem feriant: id solum virtutis decus & respectus honesti à nostris extorquet, Adeò animi nobis in quæcunque studia inclinant, mirifico successu inclyti, vt nullis maior patientia castrorum, vel audacia pugnæ, vel inediæ, iniuriarum cœli, aut cuiusuis aeris tolerantia. Sic Russiæ vtriusq; incolæ, in priscos habitus geniumq; maiorum, assiduis exercitijs vt maximè durant, Sic vtriusque Poloniæ populi, faciles ad stimulos gloriæ, & in omnis magnificentiæ cultus sunt intenti. Masouitæ robustum hominum genus, laborisq; omnis patiens. Lituani in bellis ad omnia pericula peruicaces. Samogitæ frugi homines, intentiq; ad futura. Volhynij callidis & ingentibus consilijs valent, pariq; audacia dum impetu opus. Prussia armis & opibus grauis, Liuonum gens cauta, & plerumq; in armis, quam in ocio aptior. Omnes verò passim, armorum & equestris disciplinæ studiosi, vnde vulgò Equites nun-

tes nuncupamur, Sed neque bonarum artium frigidi sumus cultores, etsi sub frigido axe positi, cum hoc nihil ad studia tractanda impediat. Siquidem & in Gallia, vbi primum in Orbe Christiano studium erectum est, & in Anglia, vnde tot viri eruditissimi prodierant, & in Belgio, vbi nunc præcipua ingenia censentur esse, paulò remissius nostra plaga frigus fieri soleat. Quinimo interdum æquale àëri nostro, & Carolus olim Audax vinum adeò gelu constrictum in castris suis vidit, vt securi frustratim scissum militibus suis liquefaciendum ad ignem diuideret. Iam verò in Gallia quoties hominum memoria, Sequana, Ligeris, & ipse Rhodanus, non minùs quam & noster Vandalus, Tyras, Borysthenes aut Nemenus, glacie concreuerunt, vt iumenta passim ac carri onusti per ea transmitterent, & arbores ferè omnes in Prouincia ac Septimania gelu vstulauerit. De Germania nihil dico, cum vicina nobis eidem propè climati cum Sarmatia nostra subsit. Et nihilominus passim in illis locis & literati & virtute præstantes viri repperiuntur. Non video igitur causam cur nobis cœli intemperiem & frigoris atrocitatem Germani quasi per contumeliam exprobrent, cum tota penitùs Polonia, vt frugum atque fructuum sic & ingeniorum nobilissimorum ferax sit: præcipuè Submontana in Panoniam declinans. Humus enim ibi propitijs collibus vel tepore fluminum mitigatus, etiam àërem benignum facit, qui vt herbas delicatiores alit, sic & corpora hominum molliora atque per consequens aptiora ad Musas pacatiores. Iam quæ Roxolanorum ingenia, quæ Lituanorum virtus, qui ritus, qui mores omnium Sarmatarum, ab historiæ scriptoribus satis proditum est, satisq; ipsi sese prodiderunt, qui tot monumentis inge-

Philip. Cōmin. in Car. Audace.

Thuan. Hist lib. 50.

Vide librum nostrum de Script. Pol.

tis inge-

tis ingeniorum posteritati relictis, nomina sua immortalitati consecrarunt. Nolo hic commemorare cæteros, quos è profundi temporis naufragio benignus æternitatis genius seruauit, vnicum hic Zamoscium producam, virum absque omni controuersia in toto Septentrione magnum & eruditum, ac præter cæteras laudes, æterno præconio celebrandum, quod Reipub. moderatione, cultuq; bonarum artium, & studio religionis amplificandæ, formam speciemq; Optimi Senatoris, ac verè Christiani Megistanis expresserit. Hunc igitur obtrectatores nostri insimulant, discordijs ciuium suorum creuisse, auxisseq; opes suas affinitate Zborouiæ domus, tum auro nefario Othomanorũ, quod Scythas è Valachia per ditiones Regni Poloniæ in Transyluaniã transire permisisset; quos facilè in saltib9 Beskiedianis opprimere potuisset, si tempestiuè cum exercitu occurrisset eis: sed vt inquiunt, rem Christianam proderet, & Rudolphi Imperatoris victorias retardaret, consultò tardè cum Polonorum copijs aduentabat in Rusſiam, quo interim barbari Alpibus Carpatijs superatis, nemine prohibente in Hungariam irruperent. Quodq; idem Zamoscius laudis cupidissimus, librum de Senatu Romano à Carolo Sigonio conscriptum nomine suo vulgasset, ipse prorsus tantæ litteraturæ ignarus. O tempora, ô mores, virum præstantissimum & alterum ferè Epaminundam audet ille nugarum & somniorum author, errabundus Mercurius, ad posteritatem traducere? qui nusquam quid veritas sit, quid narratio historica, aut scire potuit aut in posterum discet? cum in hodiernum quoque non erubescat suas nugas disseminare, idq: semper gentem nostram criminando, cui Germani velut quinto Euangelistæ suo

Mercurius Gallobelgicus To. 2.

Martino

Martino Lutero fidem in omnibus nugis indubitatam præstant: Zamoscium q; qui bello ac pace mirabilis, æmulorum inuidiam vicit & amicorum fidem,idq; vnum in vita egit,vt ciues suos omni ex parte florentes & maximè concordes videret, ciuium turbis & dissenssionibus creuisse,affirmare non erubescunt. Nam etsi ab obitu illius ciuili bello, & omni discordiarum genere lacerauimus nostras opes, nusquam tamen inter nos ita pertinaciter armis certatum est, tamq; crudeliter sanguis fusus vt inter Albos olim & Nigros in Italia; itemq; inter Columnēses & Vrsinos, inter Guelphos & Gibellinos, interq; Braccianos & Sfortianos, qui nec sanctitati locorum, nec sexui aut ætati hominum, nec parentum pietati, nec cognatorum sanguini parcebant. Sed vt tardè iras sumimus & arma, sic & odia paucorum mensium spatio deponimus. Ac proinde talibus discordijs non datur occasio quidpiam lucrandi apud nos, sicut & Zamoscio credo nullum bello ciuili commodum aduenisset, si illi superuixisset:prout & interregnorum temporibus quæ illo viuente acciderant, nulla vtilitas, nullum lucrum obuenit,præter sollicitudinem & curas Reipub. causa susceptas, itemq; sumptus facti in militem, vti apud nos moris est. Aliter fortasè alibi, vbi inimicitiæ diuturnæ, & vbi pasim subitis odijs, armisq; priuatis, ad vltima discrimina committuntur. Quamuis & nos in interregnis fortuna ingentibus malis fregit:& animos totos suarum miseriarum contemplatione impleuimus, Nullas tamen Zamoscius opes discordijs nostris aggregauit sibi, sicut nec affinitate cum domo Zborouia, vt nugatur Mercurius, cum qua illi è contra odium implacabile erat: sed eas virtute sibi ac fortuna honestissimas in Rep.

 paraue-

parauerat, nulla perfidiæ macula aut Christianitatis odio famam suam polluendo. Quòd si verò quid in Germaniæ damnū cum barbaris tractasset, vt calumniatur Mercurius, iam hactenus res innotuisset nobis, qui cum illo viximus, cum illo conuersabamur; tempus autem nullam rem æquè bonam ac malam in occulto finit esse, maximè apud nos, quibus aperti mores placent, & quibus vt viuendi sic & dicendi pro libitu facultas summa est. Potuissetq; in eum quodammodo suspicio cadere, si vir hæreticus fuisset, aut aliqua impietatis labe notatꝰ, sed quia Catholicissimus & omnis pietatis probitatisq; exemplar erat, totq; templa diuis, tot collegia sacerdotibus, tot Xenodochia pauperibus & Musarum domicilium Academiam Zamoscianā magnificè erexerit, ne imaginari quidem tantùm scelus de illo possumus. Sicut nec scriptum alienum plagiario crimine sub eius titulo euulgatum, qui tantum eruditionis habuit, vt omnibus suo sæculo literatis par esse censeretur, & cum alia plurima stilo elegantie diderit, tum in iuuenili ætate adhuc librum illum de Senatu Romano antiquitatibus refertissimum: cum in studio Patauij manens, Licæum illud nobilissimum Rectoris titulo moderaretur, Carolo Sigonio adhuc in herba latitante. Qui tum demum scriptis suis inclarescere cæpit, cum Zamoscius iam in patria decursis inferiorū honorum gradibus, Supremi Reip. Cancellarij & exercituum Præfecti, apud Stephanū Regem, munere fungeretur. Cōprobant hoc grauissimi scriptores condiscipuli sui, Laurentius Goslicius postea Episc. Posn., Andreas Patricius Episcopus Vendensis, Stanislaus Fogeluedrius, Paulus Stempouius, alijque plurimi conterranei & æmuli sui, qui in libris suis honorificam mentionem

nem Scriptorum ipsius faciunt, & omnes vnà tum apud Ioannem Musciuum Typographum Venetum suas lucubrationes publicarunt. Is octuaginta quinq; annos natus, singulos se optimè nouisse aiebat, atque ipsum Carolum Sigonium: de eorumque virtutibus & in re literaria progressu, nobis percunctantibus multa cum iucunditate, Anno 1627. referebat. Sed & stilus ipse arguit, non Caroli Sigonij opus illud esse, cum sit multò pressior Sigoniano, & simillimus reliquis lucubrationibus Zamoscij, quæ passim circumferuntur. Verùm hic dices cum Lansio, *potuisse vtique Zamoscium aut alios Polonos qualitercunque Latinè scribere: ast pronunciare non item, cum & in accentibus grauissimè peccent, & ipsi patriam linguam valde barbaram habeant, vt puta decem interdum consonantibus syllabam vnam constantem, & verba ipsa velut lapides aliquos, quibus audientium cerebrum excutiant.* Equidem scire debetis, Auditores, linguam nostram Polonicam, ortu barbaram esse, nam è media Scythia egressa, perq; varias barbaras gentes vagata, Sarmatas videlicet, Gotthos, ac Vandalos, qui orbem vniuersum infestauerant, etiamnunc à magno fluuio Obia, & Nouazemla incipiens vsq; ad sinum Adriaticum extenditur, continetq; circiter viginti quatuor nationes, puta Nouozemlēses, Rizanios, Roxolanos, Seruios, Bulgaros, Rascios, Illyrios, Istrios, Sclauonios, Polonos, Lituanos, Silesios, Cassubios, Vandalos, Morauios, Boemos, Carniolos, Carinthios, Cassanios, Sibirios, Astrachanenses, Moscouitas, Minglerios, Circassios, & Dalmatas. Quarum singulæ fermè dialectis & pronunciatione inter se differunt, & barbariem sonant, partim quod nullam bonarum artium culturam habeāt, partim quod alijs populis subiectæ, imperantium sermocinatione

Scioppius in Scal. Hypobolimæo pag. 92.

tione suam linguam contaminauerunt. Quique olim indomitæ intra se molis fuêre, ac plerasque alias per orbem terrarum prouincias frequentibus victorijs subegère, sensim per ignorantiam gubernandi, adsuetaque victoribus vitia, cessere in prædam his ipsis, de quibus triumphabāt: & Tartaris nunc, Turcis, Suecis, Hungaris, Germanis atq; Italis subiacent. Sola Polonia atque Moscouia exceptis. Sed quarū ista (Asiatica Sarmatia dicta) velut ad barbariem facta, etsi non obtusa ingenia producat, nullas tamen pacatiores artes admittit, aut duritiē sermonis emendat. Sola nostra Europæa Sarmatia, deposita illa agresti ferocia, quæ optima ingenia tristi nocte spissabat, vnà cum luce Euangelij & morum culturam admisit. Introductisq; per Iagellonem Regem Cracouiam omnium scientiarum professoribus, ita Latinam linguam in vsum nostrum conuertimus, vt omnia iura, leges, & publicas scripturas nostras exinde Romano ritu & sermone extradere soleamus: loquamurq; adeò promptè & purè, vt exteri putent nos Latinam linguam habere natiuam. Secundum quam, nostram quoque paternam, quæ nullius exteri dominatus illuuiæ contaminata est, Oratorum ac Pöetarum præceptionibus expoliuimus, vt omnia tam Græcorum quam Latinorum ornamenta facilè admittat. Nec Scioppio contrarium in suo Hypobolimæo asserenti credendum est, qui & in Polonia nusquam fuit, & vt Germanus affectu ductus scripsit, & dum scriberet, nullum sanè Polonum nouit, cum quo de sermonis nostri elēgantia conferre potuisset. Fassus est id Anno 1626. nobiscum Romæ familiarissimè viuens, & expostulatus, summopere verecundabatur, quod ex pronunciatione Sclauorum qui suam linguam Turcica barbariè in-

Vide librū nostrum de Oratoribus Sarmatiæ.

barie inquinarunt de nostra lingua iudicaret: præsertim quum ostendissemus illi summorum virorum, de nostratibus testimonia. Mureti videlicet, qui nos in omni ciuilitate exercitatissimos esse dicit. Lipsij, qui Polonos humanitate ac elegantia prouocare lætissimam quamque gentem asserit. Et Bodini sic ad suos Gallos inquientis: Poloni non tantum molliùs quàm nos loquuntur, sed sunt etiam vrbaniores, & cultu elegantiores. Nam quæ lingua quæso amoribus conciliandis aptior quam Italica? quæ à mascula constantia remotior quam Gallica? quæ magis fastum spirat quam Hispanica? quæ barbariem magis sonat quam Hungarica? quæ ingratum sonum magis & stridorem facit quàm Germanica? & tamen audent nostram duram pronunciatu & auditu asperam affirmare, quæ omnes dicendi veneres admittit, & vt scribitur sic & pronunciatur, absq; omni cauillatione, diductioneuè aut contractione oris. Iam autem Occidentales omnes aliter scribere, quàm loqui videmus, & loqui sæpissimè aliter, quàm sentire: quod ob inopiam certè, aut impolitam quandam duritiem linguæ, mentis conceptus enunciare difficillimè queant. Nostræ è conrra linguæ, quæ ab occupatore nullo vsquam adulterata fuit, tanta sanè maiestas est, & cum vbertate iuncta dignitas, vt cum Græca & Latina, alijsq; omnibus cultioribus de elegantia, de selectissimorum verborum splendore, du pulcherrimis periodorum ductibus, & de vniuerso planè orationis ornatu certare possit. Quantum verò ad pronunciationem linguæ Latinæ, fateor ingenuè non omnes Polonos eruditos esse, neque singulos proinde scire posse, quid sit Prosodiæ quantitas, aut eleuatio depressioue accentuum in pronunciatione: esse autem quam plurimos

In Epist. ad Sacratum

Epist. Misc. Centur.

De Rep. lib. 5. cap. 1.

54

mos in pagis & villis ferè ſingulis, qui Latinè loquuntur, non obſeruatis regulis & præceptionibus elocutionis. Sed de viris eruditis, & qui aliqua literarum cultura perpoliti ſunt, aliter exiſtimandum eſt: hi ſiquidem vt artis præcepta, & elegantias linguæ Latinæ ab optimis præceptoribus didicerunt, ſic & loquuntur comptè, & ſcribunt luculentiſsimè. Cum tamen quæri poſsit inter doctos, quænam gens propiùs ad genuinam Linguæ Romanæ pronunciationem accedat, cum omnes Europæi corruptè loquamur, & Latinitatem ipſam non per naturam, ſed per doctrinam habeamus; quiq; à Romanâ linguâ originem ſui ſermonis ducunt, Itali, Galli atque Hiſpani, nobis longè vitioſius pronuncient. Et Hiſpani quidem vt cætera omittam H. aſpirationis notam quaſi perpetuò in ore habent, & ante vocalem. E. ingenti ſpiritus hauſtu enunciant ſemper, vt HESVS pro IESVS. heremus pro eremus, & ſimilia. Galli verò V. loco B. & cott. loco quot, ponunt, vt viuiſti pro bibiſti, viuiotheca pro biblioteca, & cottidiæ pro quotidie. Itali dèmum G partim per I. partim per DZ. efferunt, & mainus pro magnus, dzienitor pro genitor, cielum pro cœlum dicunt, multaq; alia ſpiritu diſſono & diſsimili à ſcriptione proferunt. Item Scoti atque Angli verba intra palatum proferunt, magisq; gutture quam lingua loquuntur, vt vix ab audientibus intelligantur. Sed quorum omnium Germani peſsimè pronunciant, & cum interloquendum alia plurima vitia committunt, tum hoc potiſsimum, quod ſyllabas longas nimium eleuent & veluti cantent, eaq; quodammodo cantando intra fauces interimant, vt vix vocales prolatæ exaudiantur: loco autem V. perpetuo F. pronunciant; vt Finum pro vinum, ferum pro verum,

Berclaius in Icone Animorum Ios. Scalig. Ep. ad Cauſab. Apol. Prin. Aur. ad pro ſcrip. H. Regis.

Bod: de Rep. & in M. H.

rum, ferba pro verba. Quæ quidem verba ipsa, non satis Latinè interdum, aut ad præscripta Grammatices efferũt, vt benè obseruauit Nicolaus Leonuenius Medicus Romanus scribens de suo Antisophista, vbi sic inquit: *Si vellim toties, quoties frangit Prisciano caput Sophistam reprehendere: vereor ne illud mihi à Sophista accidat, quod cuidam patricio Romano à seruo Alemano contigit qui ita aliquando dominum interrogabat, vbi est clauem? & cum reprehenderetur quod minùs Latinè loqueretur, qui clauem pro clauis diceret, quasi se corrigens alias petebat à domino. Da mihi clauis? & cum rursus malæ locutionis redargueretur, quia non dixisset, da mihi clauem tandem crebra castigatione indignatus seruus, ita de hero conquestus est. Modo clauis, modo clauem, nunquam vidi homo talem.* Ast ego certè nuper Varsouiæ vidi hominem Germanum Medicinæ Doctorem & vt coniectari poteram in Regia optimè notum, singula ferè verba Latina, seruuli istius more contra Donati regulas proferentem audiuiq; in vnius sensus explicatione tum Latina, tum Italica, tum denique Polonica verba putide & ineptè, permiscentem, cum nullius sanè linguæ peritus esset. Nos verò Poloni, verba Latina interloquendum nec nimium duriter vt Hungari, nec molliter vt Itali, sed masculè, purè liquidè, & qualiter veteres Romanos aiunt locutos esse pronunciamus. Ad hæc linguas diuersas facillimè discimus, & Itali, Galli, atque Germani ipsi pro ciuibus nos suis habent, vbi in colloquium venimus. Contra verò, linguam nostram Polonicam, nullus illorum aptè exprimere potest etiamsi consenescat nobiscum. Quod si Lansius dicat, illi veteri seculo Germanis obiectam esse barbariem, age audiat quid magnum literarum decus Iosephus Scaliger præsenti ætate de eis scripserit. *Non possum, inquit, dissimulare dolorem meum, quem ex præpostera hominum hodiernorum consuetudine capio: quos cum literæ, quas profitentur, ex feris humaniores efficere*

Nic: Leõne Leonuen. excuss. Bon. ab Hiero. de Benedict. 1519.

Thuan. Hist lib. 56.

Ioseph. Sca. liger ad Ioan. Caseliũ A. 1603.

 debuerint

debuerint, nihil tamen illorum moribus agrestius, nihil ingenijs inamœnius, nihil scriptis virulentius, nihil verbis atrocius. Non memoro inscitiam (nam ea sola eiuscemodi morum mater est) & absq; illa fuisset, si non meliores, saltem minus mali esse potuissent. Ad fastigium barbariei, mi Caseli, peruenimus, non habet quo vlterius progressum faciat, iam stat in præcipiti. Pauculi supersunt quos melior natura formauit, ex quibus alij sensum bonarum literarum, alij sensum & vsum habent. Tu quidem in illis familiam ducis, qui puritate sermonis atque eruditione omnes prouocare possis: & quod caput est vitæ integritate ac modestia inprimis. quam virtutem ego quum in multis, qui literas colunt, tum in vestris præcipuè Germanis requiro: apud quos nulla magis ad maledicendum parata sunt ingenia, quam quæ maximè horrida sunt & agrestia. Quot Teutonicorum scriptorum portentà nundinæ Francfurtenses producunt? Quis in reliqua Europa aut plura vidit, aut petulantiora impotentium animorum argumenta, quàm sunt illa lemmata librorum partim Germanico sermone, partim Latino, sed à Germanis furijs concepta? Quis tam perditus vt legendis illis bonas horas perdere postulet? Deus meliora, quam vt relictis optimis studijs, vel vnum temporis momentum illis impendam: Et literæ tamen furoribus & debacchationibus horum ancillantur, vt non ad aliud quam ad impura horum hominum ministeria natæ esse videantur. Hæc itaque Scaliger de sui temporis Germanis, quos minimè meliores agnouerat, Leonueni tempore illius pater, scribit enim ad eundem Caselium. *Literæ quid aliud sunt hodie, quam Latrocinium publico quoquè assensu concessum? Quid; illæ præter inuidiam pariunt? quam non possunt declinare nisi qui non scribunt. Iulius Cæsar Scaliger à Burden, postquam diuina oratione laudes Germaniæ posteritati commendauit, amoris sui erga illam gentem hoc precium tulit, vt in Germaniæ Typographeis tanto flagitio ad libidinem nebulonum nomen eius, & omnis gens Scaligera traduceretur? Quam orationem si reuocare possem, montes auri mereri nollem. Nam Germania vestra, non est ea quam ille vidit, & describit.* Hæc de moribus & barbarie iactabundæ gentis, vir ille sapientissimus. Vt tamen se induſtriores nostris Germani ostenderent, & linguam suam copiosiorem nostra monstrarent; dicunt, *permulta instrumentorum operum, & aliarum rerum ad opificia & communem vitam per-*

Idem Scalig ad Caseliũ An. 1067.

vitam pertinentium vocabula Polonos à Germanis mutuata habere: ſiq; boni aliquid & elegantiori cultura aut ſtructura factum in Polonia reperitur, illud maximè Germanorum induſtriæ & virtuti attribuendum eſſe. Concedendum eſt eis Auditores quantum ad opificia & artes mœchanicas, has enim ab illis maiori ex parte accepimus, & ab illorum lingua nominibus deriuatis indigetauimus. Sed quid mirum? ſemper enim gens vna ab alia res ſibi neceſſarias mutuatur, & acquiſitas veteribus vocabulis ob quandam eorum commendationem appellat, Sic Græci olim à Chaldæis & Ægiptijs aſtrorum ſcientiam & nomina: Sic à Græcis Latini artes liberales omnes & earum appellationes. Sic à Romanis denique reliqui Europæ populi & iura, & ſcientias, & militiam, earumq; omnium rerum voces & propria vocabula, terminos, cognomina & ſignificationes atque vſum ipſum acceperunt. Nuperq; patrum iam noſtrûm memoria, Norimbergenſes gubernandæ Reipub. ſuæ modum à Venetis acceperunt, & omnia Magiſtratuum ac officialium nomina & ſanctionum pragmata, in vſum ſuum ſeruatis ethymologijs conuerterunt. Sic nos quoque à cultioribus ſemper recte viuendi præcepta petimus, & in quantum fieri poteſt ſingula rerum capita, ob gentis reuerentiam à qua quid accepimus, eorum nominibus appellamus. Et nec à Germanis modò ipſis prudentiã & bonas artes diſcimus, verum & à remotioribus quibusuis, Italis puta, Gallis, Hiſpanis & Belgis: à quibus etiam Germani ipſi morum culturam hauriunt. Cæterum à finitimis populis communiſsimè vitæ ſubſidia vicinæ inter ſe gentes mutuantur: & nos quoque frumentorum atque boum copia exteris ſubminiſtrata, mechanicos ab illis vt plurimũ mutuamur. Ipſi verò in duas veluti claſſes No-

bilium & agricolarum diuisi, vrbicam plebem ferè maiori ex parte congestam ex aduenis habemus: mercatoresq́, omnes ac opifices sunt Germani, Galli, Itali, Angli, Armenij, Moscouitæ, Græci, Batavi, Hungari, Hebræi, Persæ atq; Scoti. nostri verò Sarmatæ paucissimi, quòd nimirum toti Bellonæ atque Cereri dediti, minus propitium sibi Mercurium habeant. Sic quoque & in Hispania, artifices fermè omnes sunt Galli: in Italia atq; Hungaria vt plurimum Germani, ipsis terrigenis in alia studia versis. Cum itaque nulla gens statim, cum omni sua perfectione nata fuerit, sed paulatim cum vicinis primò, deinde cum remotioribus conuersando adoleuerit vt Seneca teste Lactantio sui temporis genium considerans, inquit: *Nōdū sunt mille anni ex quo initia sapientiæ nota sunt: multis ergo sæculis humanum genus sine ratione vixit.* Quid mirum si & nos remotissimè ab optimis illis sapientiæ magistris positi, non statim ab origine gentis nostræ ad eam virtutis & scientiarum cognitionem, quam nunc cum Deo bono tenemus, peruenire potuerimus, sed temporis progressu & post susceptam demum Christianam veritatem: idq́; & cum Germanis tanquam vicinis, assidua commertia exercendo, & ad cultiores populos vlterius peregrinando: à quibus quicquid optimum erat, hianti pectore excepimus, & domum reuersi in vsum nostrum iudicio conuertimus. Quapropter culturam hanc, & quasi sementem animorum nostrorum, non possumus omninò soli iactabundæ Germaniæ debere, verum alijs quoque cultioribus populis, à quibus omnem morum elegantiam, & virtutum honestatem, tanquam à proprijs possessoribus mutuati sumus. Neq; etiam ebrietatis vitium iure merito illi nobis obijcere possunt, cum minimè sint

Diuinar. Instit. lib. 3. cap. 16.

sobrij

ſobrij ipſi: quinimò bibaciſſimi Septentrionalium omnium. Quibus connaturale quodammodo hoc vitium eſt, vt forti aliquo potu, frigus illud animorum & hyppocondriam diſcutiant, abſterſoq; frequentioribus poculis flegmate, ſepultos ſpiritus excitare, atque quodammodo agiliores ad res gerendas efficere ſoleant. Germani attamen vniuerſorum ebrietatem & compotationum certamina longè ſupergrediuntur: & cum alia crapulæ vitia plurima habent, tum iſtud ſordidiſsimũ, quod eiecta per vomitum ingluuie vini, iterum atque iterum veniant cum exonerato ſtomacho ad bibendum, & tum maximè certent inter ſe calicibus. Omittam quæ vulgi ſermonibus de maximis Germaniæ Principibus traduntur, aut à ſcriptoribus eiuſdem gentis grauiſſimis paſsim referuntur: vnicum quod in patria noſtra ſpectauimus exemplum adferam. Legatus à Brand. Electore, qui & Pruſſiæ Dux erat, ad Chriſtophorum Dorohoſtaiſcium, Lituaniæ ſupremum Marſchalcum, vir vt videbatur ſatis honoratus & Nobilis, multoque ſatellicio comitatus venerat, is cum ad menſam eſſet, & Marſchalcus illi de more gentis, facta Principis ſui honorifica mentione, propinaſſet, epoto ipſe poculo è Smaragdi gemma affabrefacto, vas ei aureum ingens & vini plenum porrexit, rogās vt de more Pruſſię cuius dominio Princeps ſuus potiretur, illud hauſtu vnico pro ſanitate eius ebiberet. Fecit ille promptè, paratum ſe aiens pro ſui Principis honore quidpiam maius efficere. Tum Marſchalcus vini potorem egregium eſſe ſuſpicatus, innuit coniugi ſuæ, vt illa quoq; calicem Criſtallinum qui oportunè aſtabat in menſa, in ſanitatem vxoris Domini Electoris, eiuſque filiorum eidem propinaret. Factum ab ea, exiguo interſtitio

Cuſpin. orat Protreptica Camer. Cēt. 1. cap. 94. Aeneas Syl. Alfons. Pal. c. 41.

interposito: & legato hilariter operam suam in eo passu pollicenti, vas succineum, multò priori maius vino plenum oblatum est. Quod cum vno spiritu, cunctis mirãtibus exhausisset, & tandem minutioribus poculis, per tempus prandij aggrauatus esset, ad extremum eructantem stomachum retinere nequiens, applicato quantociùs ori pîleo, pellibus zebellinis prætiosissimis suffulto, exæstuans vinum cum ructu pupulento eiecit. Tum surgens à mensa, & hospiti atque cõuiuis reuerentia facta, in proximam cameram ad exonerandum stomachum abijt. Cumque pileo mutato ad triclinium, vt fortiùs potaret redijsset, & Marschalcum nauseabundum, cum reliquis conuiuis, inde abijsse animaduertisset, indignabundus itineri sese statim, non expectato legationis responso, cõmittere voluit, non sic tractaturum aiens Principem suum, Domini Marschalci lègatum, si fortè ad eum in Marchiam venisset, sed potaturum cum illo, etiam ad mediam noctem. Quæ cum Marschalco relata fuissent, iussit aulicos suos alternatim succedentes tota die cum eo bibere, se verò valetudinarium (Podagra enim laborabat) quam humanissimis apud eum verbis excusare. Itaq; placatus ad vesperam ter aut quater vomitu stomachum leuans, potauit vehementissimè: & in crastinum se victoriam de omnibus suis nobilibus retulisse coram Marschalco vanissimè gloriabatur. Iterumque coram Principe suo, Marschalcum inquiens poculorum impatientem, metu sui infirmitatem simulauisse. Egregiam profectò laudem, & quidem in viro Legato, atque consiliorum Principis sui conscio: sed cui adiungam etiam Principis personę simile factum. Henricus Firlei Episcopus tum Plocensis (postea verò Archiepiscopus Gnesnensis & Primas

Primas Regni Poloniæ) Roma rediens per Alemaniam exceptus conuiuio fuit ab Episcopo Augustæ Vindelicorum. qui cupiens Polonum hilariorem efficere, propinando illi frequentiùs, primùm ipse quàm hospes à vino obrutus fuit, vimq; illius sufferre nequiens, rogauit Firleium, vt maneret cum conuiuis, reditum eius expectans, quia *ego* inquit: *Reuerendiss. ibo interim parũ vomere.* Hem barbariem Auditores! quod si hæc alicui Polono in Germania contigissent, quid scriptores illorum non prodidissent de nobis, qui cum nullam causam calumniandi habeant, faciunt tamen malicia & odio, quid si habuissent? Quanquam & nostri plus iusto bibunt interdum, sed nusquam tamen sic continuatis noctibus vt illi: magnoq; probro apud nos habetur, si quis ad ructus vsque stomachi potaret. Proceres verò ipsi, & honoratiores omnes, maximè autem spirituales & Ecclesiastici, compotationes largiores prorsus execrantur. Cyri Regis factum præ oculis habentes, qui liberis & ingenuis omnem viam ingurgitationis interdixerat, solis autem seruis permiserat, Vnde plurimi Dynastarum nostrorum ita abstemij reperiuntur, vt nonnisi aquæ potores habeantur. Et Iagello Rex olim eiusq; successores omnes, qui tot ætatibus gloriosissimè apud nos imperarunt, nullo prorsus alio potu fortiori, præter aquam saccaro attemperatam, aut è fonte viuo ebullientem, vtebantur, quod eius vi, animum corporisq; vsum, minùs aptum ad laborem existimarent. Idem fecere Duces Radiuilli ferè omnes. Idem Buczacij, Monuidij, Illinicij, alijque plures Sarmatiæ nostræ Satrapæ, quorum exemplo ad parem æqualemq; laudem, nuper nonnulli accedere mihi videntur, si modò hîc de virtutibus eorum exspatiari lice-

Vide lib. de Bellatoribus Sarm.

ri liceret. Sed nolo vos Equites fortissimi, hisce obtrectatorum nugis diutius detinere, cum etiam illi ebrietatem nobis non nisi benè poti, & in cauponis suis, coram similibus sibi, non in cœtu hominum præstantissimorum, quibus virtus nostra probè cognita est, exprobrare soleant, Ad illud sanè discutiendum properabo quod iam vino sobriores, non tamen animo, nobis obijcere conantur, *rei militaris*, nimirum *inscitiam*: quod & peditatum nullum habeamus, aut si mercenarium habemus, tum nec in stataria pugna, nec in expugnationibus munitionū illis vti sciamus: & quod iactemur nos habere centum quinquaginta millia Equitum, nec tamē possimus Tartaris, qui nos singulis annis exagitant resistere, aut Suecum Prussiam atque Liuoniam nunc occupantem inde eijcere: è contra, cum annis superioribus Moscouiam & Daciam inuasissemus, facillimè ab illis populis eiecti fuimus. Et quod denique numero magis equorum, quam militum viribus hostem terrere soleamus; potiusq; ad excursiones, quam ad statariam & iustam pugnam prodire audeamus. *Consequens igitur est*, inquit Thomas Lansius, *vt quemadmodum olim Boleslai Pudici temporibus à Tartatis cæsi fuimus, qui singulis cadaueribus, singulas auriculas dexteras præcidendo, nouem ingentes saccos expleuerant, ita denuo cædamur ab illis, aut à Moschis: & tandem excussum proteruia sua Germanorum (quorum tot sæculis olim tributarij fuimus) iugum iterū recipiamus, atq; sic reducamur ad obsequium.* Hæc sunt vota Germanorum Auditores, hæc symbola amicitiæ, & in hac apprecatione concludit suam orationem Thomas Lansius scribens contra Poloniam: vt qui nemini vnquam seruiuimus, iugo videlicet ipsorum, conculcati prius à barbaris, ceruices nostras submittamus, & qui

Iulius Bellus in Laurea Austriaca.

Orat. cōtra Poloniam.

Lam. Schafnab. Cruf. Ann. Sueu. p. 2. li. 7. c. 9.

& qui tot sæculis in Lusatia, Marchia & Pomerania Saxonibus eiectis regnauimus, atque toties Alemanos Silesia, Morauia, & Boëmia eiecimus, nunc ipsi falces nostros ijs submittamus. Sed non omnium vota propitius excipit Iupiter Auditores, neq; omnia scriptoribus Germanicis de nobis quidlibet asserentibus credendum est, prout nec Pseudo--Heruarto è Bauaria habenda, Ditmarum & Otthonem Frisingensem in testimonium adducenti, quasi Principes nostri tributarij fuissent Germaniæ Imperatorum; cum & antiquissimus rerum Polonicarum scriptor Ioannes Cadlubcus, cum Anonymo & Dlugosso grauissimis Historicis nostris contrarium dicant, & ratio ipsa oppositum Germanicæ opinioni credere suadeat, quod ijs videlicet temporibus, quibus illi seruitutem nos seruiuisse scribunt, Principes apud nos bellicosissimi fuissent, Boleslai illi fortes Lesci & Cazimiri, qui grauissimis cladibus Germanam nationem affecerant, eorumq; Cæsares tum genti nostræ infestissimos Otthones illos Henricos, Conrados, & Fridericos non modò à finibus Poloniæ reiecerant, sed iusta acie congressi ignominiosissimè eos fugarant. Testis hujus rei campus Caninus ad Vratislauiam situs, sicq; dictus quod canum multitudo infinita, ad laceranda cæsorum Germanorum cadauera vndique eò confluxerit. Testis Habdancorum familia cognomen bellis illis nacta, quod vnus è Polonicis legatis ad monstratos sibi ab Henrico Imperatore thesauros, quibus se vanè Sarmatiam debellaturum iactabat, annulum suum proiecerit, aurum auro accumulandum esse inquiens, sibi verò virtutem solam cordi esse, quæ & regna & thesauros dum opus est facilè acquirit. Cui Imperator Habdank sua lin-

Io. Heruar. Mantissa cont. Bzou.

ſua lingua hoc eſt gratias tibi habeo, reſponderit, atq; inde legato reuerſo cognomen poſteritas ex eo Habdanci indiderit. Teſtes denique ſunt tabulæ & fœdera tanquam cum vicinis & ſocijs ab illis Imperatoribus conſcripta. Et diadema Regium ab Ottone III, Principi noſtro Boleſlao, tanquam amico, non tanquam victo, impoſitum ſolenniter. Quod ſi certè de Popellis illis imbellibus aut alijs inertibus Principibus noſtris, ſupranominati illi ſcriptores Germanici hæc prodidiſſent, fuiſſet ſanè quod facilè lectorem ad credendum permouere potuiſſet, ſed cum de glorioſiſsimis bellatoribus noſtris aiunt, & hanc eis ignominiæ & ſeruitutis turpem notam inurunt, credibile eſt eos gentis noſtræ odio, & in gratiam Cæſarum ſuorum ſcripſiſſe, quicquid in hiſtorijs de Polonia prodiderunt. Quamobrem animus non eſt illorum temporum victorias exequi, quibus Sarmatæ noſtri Orientis & Occidentis Imperium ſæpiùs ſtipendiarium fecerunt, Thraciam incendijs, vaſtationibus, & excidijs afflixerunt. Illyricum, Dalmatiam. & Pannonias vtraſque multis populationibus, direptionibus & cladibus concuſſerunt, Imperatoremq; illum veſtes ipſorum deridentem Valentinianum, ac Romanos orbis propè dominos, ad tributum pendendum coegerunt. Cum nullus tunc eſſet populus in orbe vniuerſo, qui Sarmatorum arma laceſſere auderet. Nec veterum Lechitarum fortia facta enumerare libet, quæ illi ante ſuſceptum Euangelium geſſerunt, cum per omnem ferè Septentrionem, & ad Cimbricam vſque Cherſoneſum victricia ſigna circumferrent. Sed à ſuſcepta modò religione Chriſtiana, ad præſentis ætatis tempora gentis noſtræ progreſſus examinemus: ac inprimis videbimus quam ſepiſsimè maiores noſtri

Germa-

Germanorum Imperatores difficilli bello diuexarunt, etsi parum tum peditatu vterentur, nullamque sibi rei militaris peritiam adscriberent. Iam verò quoties Boemiæ Reges, Saxoniæ Principes, Branderburgicos Marchiones, & vniuersas Theutonicorum Religiosorum in Prussia, ingentes copias, vicerunt, profligauerunt, ceperunt, deleuerunt? Quoties per totam ferè Germaniam grassati, prouincias, vrbes, oppida, vastauerunt, expugnauerunt, exhauserunt? Quoties opimis onusti spolijs, & Germanicis exuuijs amplificati patriam ditauerunt, coloniasq; amplissimas in Rusia & submontana Polonia è captiuis fecerunt? testis vrbs nobilissima Leopolis à primeua sua origine Lemburgum à Germanis habitatoribus appellata, & tot circumiacentia oppida ex eisdem captiuis facta Buscum, Lancutum, Priuorscia, Canczuga, Dinouia, Rimanouia, populosissimiq; eius regionis pagi, à Leone Rusiæ Satrapa, & Cazimiro Magno Poloniæ Rege locati, vbi in hodiernum vsque Germanicâ linguâ, etsi maiori ex parte iam corrupta manet. Testis campus ille Caninus in Silesia, Gruneualdum in Prussia, Naclum in Cassubia, & Nessouia in Cuiauia, vbi diuersis temporibus è Theutonica gente tot millia cecidimus, tot illustribus victorijs potiti nomen Polonum remotissimis etiam populis metuendum fecimus. Taceo hic triumphos Pannonicos & toties deuastatam à Polonis Hungariam. Taceo Daciam toties à nobis debellatam, Principesq; eius à tot ætatibus tributarios Poloniæ factos. Taceo multoties reportata de Tartaris trophæa, cæsosq; infinities penè exercitus eorum. Taceo & Moscouitas, ad Vlam, Viasmam, Neueliam, Vielikolukos, Polociam & Orsam insigni prælio cæsos, ademptasq; eis tot vrbes,

arces, prouincias. Quamcunque enim temporum seriem consector, vbique Polonorum victorias, trophæa, & triumphos, cum admiratione intueor. Solam vobis Musulmanicæ gentis potentiā obijciam, quam nequiuerunt reprimere Græci, Sclauoni, Hungari, alijq; sapientissimi & fortissimi populi: & cuius ferociam sæpius iam persenserunt ipsi Germani, Friderici illi Ænobarbi, Henrici, Conradi, Sigismundi, Maximiliani, Ferdinandi, Rudolphi alijq; gloriosissimi eorum Imperatores. Huius nos bestiæ Auditores, nedum triginta regnorum cadaueribus satiatæ, soli intrepide sustinemus impetum, non timemus vicinitatem, ad minas non expauescimus: Vtq; aliæ gentes gaudeant vmbris, & otio, summisq; pacis bonis perfruantur, toto nisu contendimus. Nos sæuissimam Scythiæ tempestatem in sua admittimus latifundia. Nos hostis crudelissimi Othomani furori, quem etiam extra belli agonem sola nominis mentione horrent alij, fortunas nostras obijcimus. Nos totius Asiæ barbarorum tela, in omnes Christiani orbis partes directa, corporum nostrorum obiectu repellimus. Quis enim potest vel ex priscis annalibus referre, Moscouiæ Tyrannum, alicui victori Regi colla submisisse? Submisit Inuictissimo Regi nostro Sigismundo III, nuper Suiscius, & Varsouiam in triumphum ductus, cum toto ferè suo Senatu & sacrorum Patriarcha carcerem pertulit, in quo & vitam expirauit. Quis vel veterum bellatorum Scythicæ illuuiei, & eorum potentiæ resistere potuit? Restiterunt toties fortes Poloni, & cum olim sæpiùs cæsos in seruitutem duxerunt, coloniasq, ex eis in Lituania fecerunt, tum auspicijs Inuictissimi Regis moderni Sigismundi III. per Zamoscium, Visniouecium, Zolkieuium,

Zbara-

Zbarascium, Potocium, Constantinum Ostrogium, Koniecpolscium, Lubomierscium & Chmielecium, cladibus eos ingentibus affecerunt. Quæ natio Christiana, tanto cum exercitu contra se Turcas venisse dicet, cum quanto ad Chotimiam contra nos venerant, ita verò se pugnasse vt recederent illi, ita constanter obstitisse, vt pacem priores rogarent. Nemo sanè hoc de se affirmare audebit, præter inuictam gentem nostram, qui nec auro dato, nec vrbibus aut prouincijs concessis, bellum apud eos redimimus, aut legatos fœderum deprecatores Bizantij continuò fouemus. Verumenimuero armis eos vltrò lacessimus, & Christianis Principibus, bella cum illis gerentibus, suppetias non rogati etiam mittimus. Sic auorum ætate Cazimirus Iagellonides, Stephanum Valachiæ Principem post præstitum sibi Homagium, contra Baiazetis II. potentiam in tutelam suam recepit, Sic Sigismundus I. Petrum & Alexandrum, eiecto Bogdano contra Solimani voluntatem, vtrique Moldauiæ imposuit. Sic Stephano regnante Cosachi duce Podkoua Danubium transgressi plurimas Turcicæ ditionis ciuitates euerterunt. Sic nuper Inuictissimus Rex noster Sigismundus Hieremiam Valachiæ, & Simeonem Moldauiæ imposuerat, fraudulentissimo illo homine Alexandro TomsZa, atque bellicosissimo Heroa Michaële inde pulsis, Rozuanoq; Principatum per vim inuadente, supplicio capitis affecto: Sic Visnioüecius, Potocius, atque Corecius, Russiæ Dynastæ paulò superioribus annis, priuati contra Turcas arma sumpserant. Sic Cosachi Zaporosenses oram maris Euxini Constantinopolim vsque & Trupezuntum inconsultò Rege depopulati sunt. Sic Sigismundo Bathoreo Transyluaniæ, & supra

dicto

dicto Michaeli Moldauiæ, Palatinis: itemque Rudolpho & Matthiæ, Cæsaribus Germaniæ, bellum pro Christianitate gerentibus, plurimi procerum Poloniæ filij, cum integris cohortibus & alis, solius virtutis causa, auxilia præstiterunt. Et nusquam tamen in bellis illis, tam breui tempore parta maior de Turcis victoria, quam his proximè elapsis annis in Valachia à nobis, cum publica hæc Orbis lues, ferum Otthomanorum genus Europæ simul imminens, Poloniæ grauissimum indixisset bellum. Quod itaque horrendam illam Turcarum Tyrannidem non patiamini, ô iactabundi vicini, quodq; durissimum intolerabilis seruitutis Scythicæ iugum, ceruicibus non excipitis, Polonorum virtuti post Deum acceptum ferre debetis, qui pro publico Christianitatis bono, pro gloria Crucis, proq; adipiscenda immortali fama, mortem oppetere pulcherrimum censent. Vobis contra tot cladibus ab illis affectis, tot vrbibus & prouincijs spoliatis, totq; domi sectis inter se dissectis, vt vix vmbram tantùm antiquæ maiestatis Principes vestri teneant, non itidem gloriari, & nobis imbelliam exprobrare conuenit, vtpotè qui legatos Bizantij perpetuò habere tenemini, veluti belli deprecatores, singulis annis Tyranno honoraria offerentes: quos ille siue sua superbia, siue religionibus nostris offensus, nullo colloquio, ac vix quidem conspectu dignos putat, vestrasq; opes fastidiosè despicit, ratus infra sui imperij dignitatem, suos quoque legatos ad mutuæ amicitiæ commercium in vestras oras destinare. Quinimò gloriatur se habere tributarium Germanorum Imperatorem. Et reuera dum vltrò citroq; in Comitijs vestris disputatur, vix non semper aliquid à Turcis expugnatur, cum probro & ignominia Christiani nominis sempi-

Ioseph. Scaliger declamat. contra obtrect. Ger

Bod. de Republ. lib. 5. cap. 6.

sempiterna. Sicque sub Vormunen. imperij Comitijs Hungariæ Taurinum, sub Norembergen. Rhodum, sub Spirensibus Budam, sub Augustanis Strigonium captum esse memorant. Quapropter desinite nobis vanè, res gestas vestras obtrudere, & rei militaris ignorantiam exprobrare, qui hac in parte multò superiores vobis sumus, reiq; equestris ita impensè studiosi, vt quot nobiles sumus, tot equites ad bellum instructi censemur esse, vbi grauis Reipub. necessitas ingruerit: alias bella minutiora conscripto milite & stipendiario peragimus. Qui, etsi equis malumus quam pedibus prælium inire, solemus nihilominus & peditum dilectus habere, qui & audacia vestris sunt pares, & robore ac fide quibusuis extraneis longè meliores. Vtimur attamen mercenario peditatu, vt sanguini nostro parceremus, maximè in expugnationibus munitionum. Qnod si adhuc quam equis, tam nauali industriæ assuesceremus, qui & Balticum & Euxinum mare habemus, proculdubiò cunctis Europæis si non superiores, at certè æquales existeremus, omnesq; Orientis opes soli ad nos traheremus. Quamuis igitur sæculo hoc Regnorum & Rerumpub. momenta multò callidius quam olim sint procurata, bellaq; ingeniosius aut illata aut repulsa, nihilominus pares vbique lacessentibus nos fuimus. & Germanorum cum Maximiliano Archiduce venientium, breuissimo bello potentiam fregimus, & totius Moscouiæ inæstimabiles opes euertimus, & Daciam vniuersam inuasimus: & transmarinorum omnium, cum Carolo Sudermaniæ Principe in Liuoniam irrumpentium astus & ingenia elusimus, & Serenissimo Ferdinando II. contra rebelles Hæreticos subsidio adfuimus, & Danorum temeritatem suppetias Gustauo ferentium in Prussia castigauimus. Nostrasq; sanè res non vllis

artium

arcium munimentis,non vrbium propugnaculis, ſed ſola virtute nobilitatis, & infracta animi magnitudine contra omnes hoſtium inſultus, hactenus inuicta perſtitit. Cæterùm quia vt apud omnes alias gentes, ſic & apud nos quoque pro genio regnantium ſæpè mutata limitum ſedes eſt, nunc illos in viciniam proferente, nunc in arctius cogente fortuna: quæ,tametſi difficillimo hoc bello Pruſſico virtuti noſtræ defuit,tamen non defuimus ipſi nobis. Et prodita hoſti prouincia Hæreticorum perfidia, vrbibusq; munitiſſimis Germanæ nationis paſsim Guſtauo deditionem facientibus, accurrimus frequentes vltrò quo pectoribus noſtris more Spartano reſiſteremus: pugnauimusq; pluribus in locis feliciſsimè, ad Ornetam videlicet, ad Olſtiniam, ad Scariſouiam, Maricuedram, ad Puckum, Nouomlinum, Neiſtadiam & Gruneualdum, vbi tot Centuriones, tot Chiliarchæ,totq; Præfecti Suecorum occiſi ſunt, captiq; circiter quadraginta quinque cohortium Ductores, tres verò legionum Tribuni, Baldiſius nempè Taiflius,& Streffius: exceptis qui in Liuonia à Chriſtophoro Radiuillo, ab Alexandro Gonſeuio & à Leone Sapieha, cæſi varijs in conflictibus aut capti fuêre. Cum vna Amerſtinenſi acie in Pomerania, integræ Germanorum legiones, cum ſuis alis, in poteſtatem Staniſlai Koniecpolſcij venerint:vnoq; triumpho ſeptem & triginta hoſtilia ſigna ab eo Varſouiam importata fuerint, quæ in Baſilica Diuo Ioanni Baptiſtæ ſacra,de more appenſa, perpetuum ſunt de Guſtauo victoriæ monumētum. Qui itidem perfidia Germanicæ gentis, cum nos bello Turcico intenti eſſemus, Rigam Liuoniæ metropolim atque adiacentia municipia per deditionem acceperat. quamuis non gratis illa prouincia potitus, ſed vt in Pruſsia in prælio Derſauienſi globo ſclopetario percuſſus, vix fuga ſalutem ſibi quæſiuit, ſic & ibi ſimiliter bombarda vulne-

vulneratus vix manus nostrorum per aliquot milliaria à tergo instantium euaserat, & nisi equo fluuium tranasset, absque dubio bellum Sueticum in Liuonia finem suum habuisset, Prussia in integro manente. Verùm Fatis sic volētib9, scriptis dolo malo cum Duce Radiuillo inducijs, bellum fraudulentus iterum redintegrauit. Quo tantopere recrudescente, tota ferè tempestate quatuor tantùm militum Centuriones in pugna amisimus, tres veró in excursionibus captos, permutatione liberauimus; signaq; nostra tantummodò septem in hostium potestatem deuenere partim in Prussia, partim in Liuonia amissa. Præter aliquot homines Gallos, & Præfectos Germanorum, qui dato Sacramento, & pecunia à nobis accepta, summo scelere & ignominia gentis suæ ad hostem desciuêre. Et tamen impudentissimi nonnulli scriptores, odio nefario gentis nostræ, non erubuerunt ijs in locis, in quibus nos Deo propitiante insignes victorias consecuti sumus, tot Polonorum millia occisa scriptis suis affirmare, quot ne in castris quidem toto bello Prussico fuerunt. Prout & præsenti æstate duo Polonorum millia à Moschis cæsa esse nugarum ille pater Mercurius Gallobelgicus scripsit: cum ne somniatum quidem esset nobis de bello cum Moschouitis, inducijs ad biennium adhuc existentibus. Sic idem, ante decennium Zolkieuio, à barbaris in Valachia occiso, qui cum septem millibus Polonorum, Gratiano Moldauiæ Principi, suppetiatum contra Turcas iuerat, mendax Mercurius scripserat, Zbarauios fratres ibidem cæsos fuisse, Zamosciumq; Ioannis F. cum duodecim millibus nobilium vnà cum eis occubuisse, cùm nullus eorum illi prælio interfuerit: & Zamoscius hodie Procancellarij munere cum laude in Repub. fungatur. Zbarauiórumq; alter nunc Castellani Cracouiensis dignitate illustris, principem in

Iulius Bellus in Lau. Aust. & Mercur. Gallobelg.

 Senatu

Senatu locum obtineat, vigilantissimus Reipub. custos. Alter obita honorificentissimè Constantinopolitana legatione (cum Osmanus ob rem malè in Polonia gestã a Ianizaris occisus esset) fœderibusq; cum nouo Imperatore scriptis, sub initium belli Prussici cum mœrore bonorum omnium, certè cum damno Reipub. diem extremum obierit. Sic quoque cum in Liuonia, vt sunt alternæ bellorum vices, castris nostrorum Gustauus potiretur, idem errabundus Deus narrauit Generalem Lituaniæ cum tota præcipua nobilitate cæsum fuisse, cum nec fuisset tum in castris ipse, sed filius eius tantummodò cum mille ducentis peditibus, & aliquot equitum cohortibus. At hîc Panegyristes in laudes Sueci excurrit, & duos ab eo, Regis nostri duces, acie fugatos esse dicit, hunc videlicet, pro patre legatum, in equo fugientem, alterum in Prussia, equo amisso, pedes. Quid mirum? sic enim fert alea Martis, sed quorum nihilominus vterque saluus euasit, hosti non incruenta victoria relicta, sic vt Gustauus ipse proprio sanguine purpuratus esset. Ferunt Pyrrhum Epirotarum Regem, cum semel & iterum inijsset cum Romanis prælium, & multos suorum desiderasset, tandem exclamasse. Miserum me inquit, qui si adhuc tertio vicero, haud scio si meorum superstitem aliquem videro aliquando. Sic Gustauus vester, si Dijs placet primus in Europa Imperator, & vt Zeuecotius vult, terror Poloniæ, si tertiò adhuc vicisset exercitus nostros, haud scio si & ipse superstes extitisset, ne dicam suæ infractæ legiones. Nam vbi Rex ipse vulnera corpore excipit, quid putatis quanti sibi illa victoria constat? quantum sui milites periculorum habent? Nesciuerunt fortasse sui encomiastæ etiam ipsum victorem illa acie latebras quæsiuisse? cum tamen sui milites fortuitò victoriam

Elias de Nucroise.

Iac obus Zeuecot: Obser: Polit.

ctoriam obtinuissent, quod nostri loco vliginoso impediti iterato concurrere, aut laborantibus succurrere nequiuissent. Demus hoc illorum felicitati, non tamen Suedicæ virtuti, qui nullibi antea, & postea, impetum nostrorum sustinere potuerunt, Gustauusq; ipse salutem sibi fuga aliquoties quæsierit, & non equum, vt noster Ductor inter paludes, sed gladium primò, deinde pileum, in campo patentissimo, fugiendo amiserit, seseque fluuio non semel præ metu commiserit: cum tamen veteres bellatores scutum aut arma amisisse, ignominiæ loco ducerent: quod hæc inter prœliandum conseruare, virtutis esset, bello autem vincere, fortunæ. Itaque periclitabatur acie Suecus sæpiùs, specie pacis delusit nostros sæpiùs, congressusq; iusto prælio victus abijt sæpissimè, & quidquid in Prussia aut Liuonia locorum hactenus possedit, totum id perfidia & proditione, Germanicæ gentis hominum Hæreticorum, obtinuit: qui ob religionis velut nexum passim ei deditiones faciebant, nullo interea exercitu nostro in partibus illis existente. Superuenientibus autem Aquilis nostris, & iusto congressu aleam belli explorantibus, quàm paucis comitatus gloriosus imperator ille, quàm trepidanter imperatorijs in signibus detractis turpiter fugerit, quàm iterum in fuga, non nocti, non valetudini, pepercerit, quam se flumine nauicula non expectata vti diximus cum equo commiserit, ne vlla vel minima res fugæ celeritatem retardaret, orbi vniuerso, est probè cognitum. Et tamen Bellus ille minimè bellus, non erubescit audacter asserere, decem Polonorum millia ad Puckum cæsa fuisse, decem ad Dersauiã, decem ad Meuam, decem ad Bronsbergam, decem ad Stralsburgam, alijsq; in locis plurimis, in quibus nos haud infeliciter pugnauimus: vixq; toto bello

Iulius Bellus in Lau. Auste

 Prussico

Prussico decem Polonorum millia in castris habuimus, Germanicis legionibus exceptis, Quarum sanè per exiguam vtilitatem habuimus, quod & proditiones continuas facerent, transeundo ad hostem, & quod aëris peregrini impatientes, non modò ipsi lue castrensi perierint, sed totam etiam Poloniam peste contagiosissima infecerint. Atque cum ita nemo sine præsenti mortis periculo castra adire posset, Batauis primùm & Brandeburgico Electore interuenientibus. deinde Galliæ atque Angliæ Regibus Potentissimis mediantibus, pax in Sexennium conclusa est, Neque etiam potuit, omnia tantæ expeditionis pericula anxiè reputans, vel peditum Germanorum robur, vel equitum nostrorum diligentia, vel ciuium vltrò ad bellum id concurrentium sedulitas, alium euentum consequi, cum ad naturam nostratium sua sponte cunctantem, senectus quoque ac morbus Serenissimi Regis nostri accessisset. Quamuis igitur Sarmatiæ nostræ vires, Auditores, tum domesticis discordijs, tum nimia militum licentia, tum bellis continuis vndiq; ingruentibus, paulatim attritæ, velut fatali senectute emarcuerunt. Nusquam tamen vltramarinis populis virtute cedemus: nusquam extimescemus astus eorum: nusquam Deo protegente succumbemus vicinis nostris. Quantum enim morem illum extollunt Anglorum atque Hollandorum, exurendi pyropio puluere naues suas vbi ad extremum fuerint ab Hispanis redacti: quantis laudibus cumulatur prærogatiua veterum peditum Germanorum, qui Sacramento sese obstringebant in acie occumbendi si vincere non contigisset: quanta admiratione venerantur Moscouitæ, qui mortem potiùs subeunt certissimam, quàm aut arcem dedant necessitatibus adacti, aut bellica tormenta in acie relinquant; quantum

inquam

inquam gloriæ ex his illi sibi vendicant, tantas nostrarum laudum faciunt accessiones. Nam & Moschouitarum sæpissimè cum tormentis etiam bellicis, ipsis potiti sumus castris, præcipuasq́, eorum expugnauimus vrbes, & paucos ante annos totius Moscouiæ propugnaculum, munitissimum Smolenscum. Et Caroli Sudermani classem ex Anglis & Batauis constantē olim in Liuonia Chodkieuicius expugnauit, & Gustaui nuper bello Prussico naues partim igni exussimus, partim captas in triumphum duximus. Et Germanorum peditum fortissimas legiones tum Stephano Bathoreo regnante ad Dersauiam & Gedanum, tum succedente illi Inuictissimo Sigismundo III. ad Cracouiam & Bicinam, primò cum Archiduce Maximiliano: deinde ad Vendam, Pernauiam, Rigam, Niauiam, Kircholmiam, Dunemundam, & Bialokamienium cum Carolo Sudermano patre Gustaui: postea ad Clussiniam in Moscouia, cum Comite de Pontibus, atq; ad extremum in Prussia, cum ipso Gustauo pluribus vti retulimus in locis, vicimus, fugauimus, disiecimus. Quapropter, si Arcades olim ante Lunam sese ortos prædicabant, nos Sarmatas certè ante Martem natos credere oportet, vt quibus nimirum prius bella gerere vsitatum sit, quam de Marte fabula fuerit nata: priusq; populos potentissimos domare contigerit, quam aut Marti alij, aut gloriæ litauerint: & quibus etiamnum non est durum sanguine oblitis stare in acie, seruare stationes, æstum, frigus atque famem pati, mortemq; demum ipsam pro religionis Catholicę integritate, pro patriæ incolumitate, proq; gloria immortali adipiscenda, subire. Vosq; Equites fortissimi, qui bellis modrnies, ac præcipuè Prussico, interfuistis, (nam de maioribus nostris iam satis dictum est, extantq; supra humani ingenij captum eorum

facta,

facta, atque per se loquuutur ipsa) vos inquam qui Prussico bello, omnes transmarini militis assultus, pectore intrepido excepistis, fortiter repressistis, aduersantemq; fortunam constanter pertulistis, vindicate nomen Polonum ab infamia criminatorum, tristiaq; patriæ fata, vestra virtute corrigite, ne vobis in posterum insultent vicini populi: neue Suedica gens veneficijs infamis (& apud quos aiunt venalem ventum esse, quem inde nauigatu[illegible] emant) in vestris prouincijs diutius regnet aut fictis fœ[illegible]deribus decipiat. Corripite arma. vlciscimini perfidiam Hæreticorum, & tota Liuonia atq; Prussia eijcite fraudulentum hostem: demumq; effundatis in nepotes nominis Sarmatici spiritum illum fortitudinis, nobilitatis, libertatis, quo & antiquis illis, & vobis olim pares esse queant. Sic enim virtus vestra, omni fructu gloriæ aucta, non præliorum exitu, nec finibus imperij, aut curriculo temporum terminabitur, sed orbem vniuersum peruagata, ipsam demum æternitatem excipiet.

DIXI.